


Michaël Mekelburg.

THERIACA.

Ad Mentem Andromachi Senioris
Conſenſu Facultatis Medicæ
in quadruplo confecta
à
DN. SAMUELE SCHREIBERO
Pharmacopæo Senatorio
Löbnicenſi.



REGIOMONTI,
Typis JOHANNIS REUSNERI,
ANNO M. DC. XLII.

R. Troch. Scillitic. lb. ij.
de Vipera.
Piper Long.
Opy.
Magmat. Hedychroi an. lb. j.
Roſar. rub.
Irid. Illyricæ.
Succ. Glycyrrhizæ.
Sem. Buniad. dulc.
Comar. Scordy Cret. & Noſtr.
pro Opobalſamo Ol. Nuc. Moſchat.
Balſam. Indic. & Ol. Juniperi.
Cinamomi.
Agarici trochiſcat an. unc. vj.
Myrrhæ.
Coſti Odorati & Zedoariæ.
Croci Oriental.
Caſs. Lign. ver.

Nard

Nardi indic:
Schænanth: cum floribus.
Thuris Maſculi.
Piper. Nigr.
Alb:
Fol. Dictamni Cret: cum Lanug:
& floribus.
Comar: Marruby.
Rhabarbar: Elect:
Stæchad: Arab:
Sem: Petroſelini Macedon: ver:
Calamenth: Montan:
Therebinth: Cypriæ
Zinziber: Alb:
Rad: Pentaphyll. an: unc. iij.
Poly Cret:
Chamæpityos
Gran: Styrac: Calamit:
Meu & Rad: Angelic: ver:
Amomi ver:
Nard: Celtic:

Terræ

Terræ Lemniæ ver: & Sigillat:
Strig: ver:
Phu Pontici.
Chamædryos.
Foly vel Macis & Chariophyll an.
p æq:
Chalcitidis Tostæ & Spir. Vitriol:
Rad: Gentianæ
Sem: Anisi:
Hypocystidis.
Carpobalsam: cum Cubeb: & Gran:
Juniperi.
Gum: Arabic: Splendidi.
Sem: fæniculi Cret: & Nostr:
Cardamom: Min:
Sem: Seseleos.
Succ. Acaciæ ver:
Thlaspios.
Comar: Hyperic:
Ammeos.

Calam:

Calam. Aromat. ver. in Cann. & Noſtr.
Sagapeni in Gran. an. unc. ij
Caſtorei.
Ariſtoloch. Long.
Semin. Dauci Cret.
Bitum Judaici.
Opopanac. in Gran.
Fl. Centaurei Min.
Galbani an. unc. j.
Mellis deſpumat. lb. 57. unc. IX.
Vini Hyſpan. Seckt. q. ſ.

Conficiatur ſecundum Artem.

Trochiſci Hedychroi.

R. Mari.
Aſari.
Amaraci.
Aſpalathi. an. unc. ß.
Schænanth. cum floribus.
Calam. Odorat. ver.
Phu Pontici.
Xylobalſami cum Lign Gran. &
Gum. Juniperi.
Opobalſami & Ol. Charyophyl. &
Ol. Nuc. Moſchat.
Cinamomi.
Coſti ver. an. drach. vj.
Myrrhæ.
Foly.
Nard. Ind.
Croci.
Caſſ. Lign. an. unc. jß.

Amo-

Amomi unc. iij.
Maſtiches in Gran. drach. ij.

Fiant Trochiſci qui in umbra exiccati
Oleo Chariophyl, inungantur,





IN NOMINE SACROSANCTÆ TRINITATIS

PROLOQVIUM.



Vo major hostium est furor, & imminens ab iis vitæ periculum, eò accuratiore in procurandis armis solertiâ opus erit. Insidiantur corpori nostro, aliàs fragili, infinita, eaq; atrocissima morborum genera, de mediis iis resistentibus cur non cogitandum? Desudavit in eo Veneranda Antiquitas, & nil, quod ad oppugnandos sanitatis hostes, immò ad muniendam corporis nostri arcem facere videbatur, intermisit. Primitùs quidem simplicibus, utpote Naturæ nostræ convenientioribus remediis, acquiescebat; Cum verò prægnantes Causæ etiam Composita expeterent, singulari studio, arte & ratione talia excogitarunt, quæ non sine fructu, prosperoq; ægrorum usurpari possent. Causæ autem illæ ad tria imprimis Capita referri possunt: Primum respicit Morborum, Causarum, Symtomatumq; rationem, prout enim hæc vel diversimodè complicata, vel in distinctis partibus subsistentia conspiciuntur, ita etiam medicamentorum desiderant compositionem, quam simplicior Morbus aut causa negligit. Deinde ægri ipsius, affectæq; partis Natura & Conditio in simplici

 aliquo

aliquo vix acquiescebat. Tertiò, ipsum Medicamentum Simplex multis de causis aliorum effiagitabat admistionem: aut enim vix sufficiebat affectui etiam simplici, aut virtutem obtinebat, modò vehementiorem, ab alio refrenandam; aut mitiorem, ab alio excitandam exaltandamq;, aut vehiculum aliquod, quò facultas ejus ad partem affectam deferri posset, exoptabat; aut Sapore, Odore, Colore, imò consistentiâ ipsâ minùs acceptum erat, correctioneq; egebat; aut deniq; sui conservationem vel adversus corruptionem, vel virtutis exhalationem alterius alicujus ope, anxiè quærebat: de quibus plura vide apud *Galen. l. 1. de compos. med. s. l. c. 3. Bauhin. de remedior. form. c. 11, Dispensat. Venetor. in præfat. Senn. l. 5. Instit. c. 1.* Inter alia verò infinita Composita primæ optimo jure THERIACÆ debentur, tùm ob singulare Compositionis artificium; tùm ob insignes & nunquam satis deprædicandas operationes. Unde & peculiarem meritò meretur considerationem, exactamq; omnium ingredientium investigationem, quò cognoscatur, quantum Agyrtarum & Circumforaneorũ Theriaca, quæ sesquipedalibus & Thrasonicis elogiis extollitur, & vix umbrã veræ obtinet, differat ab illa, quæ ad mentem Andromachi facta, & eadem ingredientia, & eundem agnoscit compositionis modum. Quò verò hæc feliciùs expediantur, quatuor id sectionibus expeditum dabo, quarum prima generalia quædam, Lauream, Nomen & Causas Theriacæ explicantia, præmittet, Materiæ altera in specie examen, tertia Compositionis actum, quarta deniq; specialem ejusdem Usum subjunget.

O Jesu annue laboribus meis!

SECTIO

SECTIO PRIMA
De
THERIACA IN GENERE.
Lauream, Nomen & Causas ejus explicans.

APHOR. I.

LAVREA THERIACÆ tribus absolvitur, Dignitate, Vtilitate & Necessitate.

Jucunditatem forsan urges: Verùm gratis venamur eam, ubi de salute vitæ nostræ agitur. Pestis sanè, si non tàm, quid conducat, quàm quid placeat, attendatur, Suavissima quidem, ne perterrita Natura ingratorum exhorrescat insuavitatem, propinanda; at cautè, ne dum Ori satisfacere laboramus, ferale quid ipsi Vitæ inferamus. Delectant non rarò amara, fastidiumq; pariunt dulcia nonnullis. Urgentius itaq; attendendum, ut internam potius, quæ Toti, quam Externam, quæ Palato grata, spectemus jucunditatem.

II.

DIGNITAS ex Antiquitate, Magnatumq; perennanti applausu, nec non unanimi Medicorum clarissimorum illâ utentium consensu æstimatur.

Bellum Medicinæ inferre videntur, qui repudiatis Veterum inventis, nil nisi novum quid evomunt. At ut non rarò novorum Principiorum introductione, non tàm expli-

cantur, quàm implicantur omnia; ita & noviter excogitatorum remediorum usu sæpè plus detrimenti, quàm commodi ægrotis exoritur. Nam nova præter rationem comminisci & à Veterum doctrina recedere & temerarium, & in faciendo periculosum statuebat Hippocrat. Imò in periculoso affectu certis medicamentis relictis curiosa Experientiæ causâ ægroti salutem prodere, grave & iniquum videtur Galeno 1. de compos. medicam. sec. gener. c.16. *pervolve & ea, quæ tradit* Forest. obs. 76. de Cerebri morb. l. 10. in Schol. *Arrideant itaq; nobis antiqua sano & prudenti consilio concinnata, salutariq; usu comprobata, quorum classi Theriacam Andromachi annumeramus, quæ præ infinitis aliis Antiquitate gaudet. Infantia ejus, seu prima origo debetur Mithridati Regi Ponti & Bithyniæ, qui anno ante Christum natum (circiter) septuagesimo vixit: Perfectio verò ejusdem sub Nerone Imperatore, anno post Christum natum, quinquagesimo septimo subsecuta est. Ab hisce temporibus sesqui Chiliadas annorum superantibus, continuâ temporum serie viguit, & usurpata fuit. Utut enim & alia plurima antehac inventâ, adhuc dum reperiantur, tamen in Chartis tantum, non Officinarum thecis, unde & usus eorundem exolevit. Adauget hanc Nobilitatis dignitatem constans Magnatum favor. Ut enim olim Mithridates suo à se confecto Mithridatio, sibi subditisq; suis feliciter consulebat, ita ex eodem quasi natâ Theriacâ subsequentes Imperatores sibi suisq; prodesse studebant: Non exiguam quippe imperandi partem arbitrabantur, communis salutis procurationem: si itaq; quispiam amicorũ vel Civium Antidoto hac egebat, magnâ promptitudine, animiq; maximâ propensione ipsam communicabant, referente* Galeno ad Pison. c. 2. *Ipse Imperator Marcus Antoninus singulis diebus, quasi delicato quodam cibo*

câute-

eâ utebatur, à quo & autoritas medicamenti amplior crevit, cum ejus efficacia latiùs inter homines divulgaretur, siquidem cùm Imperator vitam sanam traduceret, utilitatis fidem Antidotus hæc majorem obtinebat, teste eodem. Hinc in hæc usq; tempora nemo Magnatum ei repudium dare ausus, sed hoc potius egerunt, ut eandem dextrè & legitimè paratam, semper ad manus haberent: unde & non indifferenter quibusvis eam conficiendam dabant artificibus, aut seplasiariis, sed Medicis tantùm Imperatoriis, aut aliis singulari Privilegio ea de causa donatis; nam ut dignotio omnium ingredientium expertum & prudentem requirebat Medicum, ita & conquisitio eorundem eximios labores, sumtus & difficultates. Accedit & non parum luminis huic dignitati, ob præstantissimorum, Theriacam usurpantium Naturæconsultorum assensum; licet enim sint, queîs nonnisi propria sputa arrident, quiq; alia in Andromacheæ compositionis locum substituere moliuntur, tamen & proprias suas confectiones, Antidota, & similia eâdem exornare coguntur: imò ob singularem, quam tanto temporis spatio exhibuit utilitatem, ab ejusdem usu recedere haut possunt. Saniores verò tanta dignitatis eandem æstimant, ut & Reginam medicamentorum eam proclamare haut erubuerint, & adversus plurimos morbos vel quotidiè eandem usurparint, & adhuc dum usurpent.

III.

VTILITATEM salutaris ejus commendat usus, quem in præcavendis & curandis, tàm internis quàm externis, sive à maligna, sive à benigniore causa provenientibus mor-

morbis præſtat, & omni ferè Ætati, & ſexui ſuam operam navat.

Minùs commodè valere, non vivere eſt, ſed torqueri; nam vita Galeno cenſetur non vivere, ſed benè valere. Valetudinem itaq; optimè procurabit id, quod & imminentium hoſtium ferociam avertere, præſentemq; morbi moleſtiam evertere valet. Utrumq; à Theriaca expectandum. Cùm enim Balſamum noſtrum radicale maximè reſpiciat, corpus noſtrum adverſus infinitos infirmitatum inſultus ita munit, ut nec venenata pocula propinata homini quicquam nocere poßint. Quod ſi verò labem aliquam jam contraxit, ei omnibus nervis ſeſe opponit, priſtinoq; nitori & robori eundem reſtituere ſatagit. Oppugnat ſanè morbos ex quacunq; cauſa generatos: Aperto Marte cum manifeſtarum Qualitatum affectibus confligit; qui verò occultis & malignis viribus nos adoriuntur, occultam quoq; ejus & planè divinam, ut loquuntur Avicenn. Munder. tr. de Peſt p.105. Joubert & alii. *experiumur potentiam. Non eſt venenum, ſive id Animale ſit, ſive Minerale, ſive Vegetabile, cui non, ſi in tempore ei occurratur, & Naturæ robur adſit, Theriaca utiliter opponi poſſit, quinimo cum ſubtiliſſima quandoq; effluvia ab animalibus lethiferis egredientia, de quibus conſulantur,* Avicenn. l. 4. f. 6. tr. 3. c. 22. Vidus vid. p. 2. ſ 2. de curat. general. l. 1. c. 13. p. 332. Scalig. exerc. 200. *homini inſidientur, ab hac Antidoto propinata auxilium quoq; experimur. Quid? quod ipſiſſima Peſtis, truculenta illa Hydra, unicum utplurimum alexipharmacum agnoſcat Theriacam. Partes inſuper corporis noſtri ſingulas, tàm internas, quàm Externas facultate ſuâ reſpicit; nam & Capiti, & Pectori & Ventriculo, & Cordi & Hepati, & Lieni, & Utero, & Renibus & Veſicæ, & ipſis Artubus, ob ingredientia ſingulis partibus dicata,*

proſpi-

prospicit, virtuteq; suâ imbuit. Sit Juvenis, sit Vir, aut Senex, nemo ab ejus legitimo usu periclitabitur. Sit mas aut fœmina, nullum sexus agnoscit discrimen, si à prudenti imprimis ea porrigatur Medico. Pueris an prosit, specialis usus docebit. Judicium rectum ut omni Pharmaco, ita & Theriacæ debetur.

IV.

NECESSITAS ex inevitabili, quod vel singulis momentis hominem petit, variorum ingruentium affectuum malo, ex subitarum ingruentium affectuum malo, ex subitaneo, indubitato, totiesq; experto auxilio colligitur, ita ut nullâ ratione hac Antidoto mortales carere possint.

Medicamentorum necessitatem inter alia momenta nea illa alterationes, quibus genus humanum obnoxium est maximoperè urgent. Quemadmodum verò haut aliis, ita nec Theriacâ carere debebat, tum si subitaneum aliquod expetatur remedium, utilem suam conferat operam. Quoties Venenum ex improviso bibentibus auxilio fuit? Alius muscarum venenatam aquam hauriens Theriacâ assumptâ convalescebat; alius Arsenicum per imprudentiam devorans eâ restituebatur; alius Aquam fortem pro Vino adusto deglutiens, eâdem curabatur: Nec ita pridem Rusticus quidam à Vipera quatuor vulnusculis læsus, cui totum corpus mirum quantum intumuerat, divini hujus remedii beneficio ex Orci faucibus actutum eripiebatur. Taceo infinita exempla alia, quæ in praxi hactenus notata fuerunt, necessitatem hujus Antidoti attestantia. Unde & Veteres, attestante Galen. ad Pison. c. 5. *cum ex una parte animadvertissent, nec serpentum ictus evadere, nec venenum insidias*

dias evitare nos posse, sed utraq; de causa mortem incurrere: Ex altera verò considerassent tantoperè naturam hominum inter se differre, ut, quod uni prodest, alteri non conferat, exquisitam hanc compositionem sunt moliti, ut hoc nomine foret in omnibus hisce necessitatibus remedium præsentaneum, & usu tam opportuno apud omnes gentes summoperè celebratum. Quod si incertum quoq; sit, aut assumti Veneni, aut pestiferæ Luis, aut occulti alterius morbi genus, Theriaca omne dubium solvet, & naturæ suppetias ferendo malum ipsum extirpabit. Et si, referente Gal. l. de cib. bon. & mal. succ. c. 4. *honorificentius sit Nautæ in tempestatem non incidere, quàm eam evadere; non minùs Medico longè honorabilius erit hominem à morbo immunem servare, quàm morbo oppressum sanare; quod cum & idipsum Theriacâ ex voto expedire possit, quis non summè necessariam eandem esse proclamabit? Quid verò in desperatis & jam conclamatis morbis possit, innuit* Galen. *sequentibus*: In quibus, *inquit*, alia, Vi morbi superata nil contulerint, in his Theriaca exhibita egregiè operatur.

V.

Lauream excipit Nominis enodatio, quæ Etymologiâ, Homonymiâ, & Synonymiâ circumscribitur.

VI.

THERIACA, verius Thiriaca à Græco θηρίον i. e. fera, bellua, & ἄκος medela, rectè derivatur, ita, ut θηριακα idem sit, quod medela, contra feram.

Petrus Aponensis *lib. conciliat. differ. 177. & 179.*

179. nec non cum eo alii minus genuinã suggerunt Etymologiam, derivantes Theriacam à Thiro serpentum genere, quem à Vipera cum Albert. M. lib. de Animal. distinguunt: innuit idipsum quoq; Nicolaus Myreps. in dispensat. suo. s. 41. §. 51. quod sc. Trochisci Viperini ex alia conficiantur fera, quam Tirum vocant. Sed errare eos nemo non videt, cùm, antequam Viperinæ carnes Theriacis medicamentis admistæ fuerint, nomen Theriacæ jam viguerit. Deinde aliis nationibus, inprimis iis, ubi primitus Theriaca præparabatur, non ita cognitus erat Tirus serpens. Tandem & Andromachus S. nullibi hanc suam compositionem Theriacam, sed ἀντίδοτον ἱλαρὴν, γαλήνην, εὔδιον i. e. antidotum Hilarem, Quietam & Serenam denominavit. Utut verò θὴρ & θηρίον in genere, belluam quamvis significet; Medicis tamen in specie designatur bestia quædam Venenata, quæ ictu, morsu, aliove modo Venenum relinquunt, unde & medicamentum, quod tanquam medela huic opponitur malo, optimo jure Theriaca indigitatur. Cur verò à bestiis Venenatis Pharmaco huic nomen sit inditum, cùm non tantum Venenis animantium, sed & Vegetabilium & Mineralium medeatur, imò & alii externi, interniq; affectus à variis causis exorti, eadem expugnentur, non sine causa quæritur? respondet Marantha, à potiori semper fieri denominationem, cumq; Venena bestiarum majoris sint momenti, imò & frequentius in Italiæ & Græciæ locis, lethiferis animalibus abundantibus, occurrant, & ut habet Galen. ad Pison. c. 5. nihil tam difficile sit, quàm serpentes & venena vitare posse, meritò hæc denominatio ei exinde attributa.

VII.

HOMONYMIA vocis triplici involvitur modo, vel enim Generalissimam & ferè obsoletam, vel specialiorem, vel etiam specialissimam & magis consuetam obtinet significationem.

Antiqui ante Galenum Medici Theriacæ nomen generalissimè usurpabant pro Adjectivo neutro pluralis, sicq; θηριακὰ illa dicebantur remedia, quæ adversus venenatorum animalium morsus ebibita pugnabant; quemadmodum nobis Beroarthica, Alexipharmaca, Alexiteria contra Venena pugnantia dicuntur. 2. Specialius accipitur, ubi instar substantivi in genere fœminino designat præstans quodvis medicamentum Curationem tàm Venenatorum, quàm aliorum morborum expediens; & sic interdum simplicia hoc nomine gaudent, Allium Galen. 12. m. m. 14. *dicitur Theriaca Rusticorum; Scilla Avicennæ Theriaca contra Venena; Gummi Opopanax & Aristoloch. Theriaca ad puncturas.* Plinius l. 18. N. H. c. 18. *Vitim quandam apud Thasios provenientem Theriacam vocat, cum ejus Vinum & Uva contra serpentum ictus valeant: Interdum composita, ut Theriaca ex Pœonia, ex terra sigillata, ex Bryonia Oribas. Theriaca Germanorum, Ælii Galli, Euclidis, Zenonis, Antiochi, de qua vide* Plin. l. 21. N. H. c. 34. *de aliis* Aetium tetrabil 4. f. 3. c. 14. Quercet. Pharm. dogmat. p. 499. 511. *Specialissimè & maximè propriè, pro confectione ex Viperis Andromachi Senioris, ad cujus mentem Galenus & alii ejus successores eandem composuerunt, & adhuc dum componunt, Licet verò hodierno tempore*

sæpius

ſæpius non Andromachi, ſed Venetorum Theriaca dicatur, der Venediſche Thiriack/ *hânc tamen ab ea differre haut putemus, cùm, quantum quidem poßibile eſt, ductum autoris ſequantur; ſed propterea à laudatißima illa Republ. nomen obtinuit. partim, quod genuinam deſcriptionem Andr. Veneti relligiosè ſervent; partim quod ſolemnibus adhibitis Ceremoniis, ut ferè nullibi locorum fit, ea ibidem paretur; partim quod illorum induſtria non ſine magnis ſumtibus & difficultatibus ex tenebris hanc Antidotum eruerit, cùm ob penuriam plurimorum ingredientium vix Cadaveris formam ante annos non ita multos præ ſe ferret; partim etiam quod per omnem terrarum orbem Theriaca illorum diſtrahatur, & certo ſigillo munita divendatur. Interim & alibi locorum eadem induſtriâ, eâdem fide, eâdem methodo & lege jam eandem parari, alibi monſtrabimus. Hic nonnulli dubii ſunt, quærentes;* Utrum Andromachus Sen. hanc ſuam Antidotum Theriacam vocitarit? Tidic. tr. de Thiriac. p. 37. *non ab ipſo Andromacho ſed Critone celebri ejus ſæculi Medico primitus nomen hoc ei eſſe inditum cenſet; idq; ut* Galen. l. de Uſu Theriac. ad Pamphil. & ad Piſon. c. 5. *voluit, duplici de cauſa; primò quod ad Venenatorum animalium ictus morſusve faceret; Deinde, quod venenati animalis partes, carnem ſc. Viperinam reciperet:. Non hìc moramur contrarium ſentientes Marantham, Quercetan. & alios: Utut enim ante Viperinæ carnis additionem alia quoq; medicamenta Theriacæ nomine venerint; placuit tamen ſucceſſoribus Andromachi potiori jam iure Antidotum hanc nomine hoc inſignire, quod utroq; gauderet & virtute adverſus venenatas beſtias, & ingredientibus Viperarum carnibus. Et quia verba valent ſicut nummi, cur absq; ratione Galeno contradicendum?*

IX.

SYNONYMA varia sunt. Andromacho S. dicebatur Γαλήνη, Quies ſ. Tranquillitas, & quidem ἱλαρὴν καὶ εὔδιον, hilarem & ſerenam in verſibus eandem vocabat, ut & πανάκειαν Panacæam: aliis dicitur ἀντίδοτος δι' ἐχιδνῶν, Antidotus ex viperis; Medicamentum Polychreſton; Regina, Mater medicamentorum.

Quò quid eſt præſtantius, & utilius, eò plura Nomina & Epitheta, laudis encomia decantantia meretur: Vocatur autem γαλήνη, non quod à Galeno inventa ſit, ut perperam nonnulli fecerunt, teſte Joubert. tr. de Peſt. c. 19, *Sed quod Veneno, aliâq; morbificâ causâ turbatos & quaſi maris procellis oppreſſos ad Quietis portum deducat, humorumq; ferociam compeſcendo, ſymptomata omnia mitiget & placet, unde non niſi ἱλαρὴν καὶ εὔδιον lætum & ſerenum corpori animoq; ſtatum conciliat, diſcuſſis variis triſtitiæ & jamjam ingruentis mortis nebulis.* Antidotus δι' ἐχιδνῶν *ad differentiam aliarum Antidotorum, quæ ex Viperis non conflatæ erant, nec ſimiles operationes edebant, quarum quingentas & undecim* Nicolaus Myrepſ. in diſpenſ. Med. à p. 1 ad 233, *annotavit.* Polychreſton & Panacæa, *ob inſignem efficaciam & uſum ferè in omnibus morbis & Venenis, omnibusq; Naturis, quibus ſalutariter opitulatur.* Regina medicamentorum, *non tantùm quod à Rege primam duxerit Infantiam, aut quod Imperatoribus, Regibus & Principibus admodum chara fuerit, ſed inprimis, ob inſignes, admirandas & planè heroicas Virtutes tàm in præſervandis, quàm curandis affectibus, quodq;*

hoc nomine ferè omnibus aliis Antidotis palmam præripiat; confirmante id Cl. Munderero tr. de Pestil p. 213. *unde &* Matris *nomine ab aliis insignitur.*

X.

DEFINITIO sequitur. THERIACA est Antidotus Andromachi Senioris ex variis remediis cum adjectione, carnium Viperinarum concinnata, adversus venena, venenatosq; ut & alios morbos pugnans, Naturæq; præservando & curando prospiciens.

Ex lib. 1. de Antidot. *colligitur, Antidota ea olim dicta fuisse medicamenta, quæ non imposita extrinsecus, sed intus assumta, pravas corporis affectiones sanabant; quorum alia adversus exitiales potiones; alia ad ferarum ictus, vel morsus Venenatos; alia ad morbos ex prava victus ratione obortos facerent: alia verò, quæ tria hac simul pollicerentur & præstarent, quorum classi optimo jure Andr. Theriaca refertur: Licet & generaliori jam Antidoti vocabulum gaudeat significatione, cum Theriaca externè adhibita in usum venerit, & commodè usurpari possit.*

XI.

CAUSARUM explicatio, Efficientis, Materiæ, Formæ & Finis enodatione expeditur,

Si quod S. Paulus suo Timotheo præcipit, ut vitet τὰς βεβήλους καινοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, & aliis

& aliis scientiis applicandum est, gratis contra causarum genera & alia antiquitus in scholis sanâ ratione recepta pugnatur: praestat ipsum aedificium inceptum continuare, quàm de novo fundamento sollicitam curam instituere.

XII.

EFFICIENS, vel est Universalis, vel Particularis. Illa est, Deus T. O. M. benedictus in secula; qui, ut simplicem ex terra creavit medicinam; ita & Compositorum humanibus usibus maximè inservientium rectè indigitatur prima causa.

Saniores Ethnici, queîs melior mens erat, supremum quoddam venerabantur Numen, cui inventiones excellentium medicamentorum adscribebant, felicesq; simul curationum successus deferebant. Observavit idipsum Andromachus quoq; in fine Carminis, inquiens.

Ἱλήκοις, ὅς τῆδε μάκαρ τεκτήνας &c.

Propitius ergò sis tu, qui hanc Antidotum, ô beate fabricatus es Paean

Sive te Tricca divinitus habeant cacumina.

Aut Rhodus, aut Burinna, & propè mare sita Epidaurus,

Adsis quaeso, atq; ut saluiferum edulium Regi praebe,

Sobolem hanc tuam Panacaeam. Ille contra sanctus oblationibus

Supplex venerabitur te propter hanc salutarem medicinam.

Avicenn. tr. de Virib. Cord. 2. c. 4. *& alii divinitus hoc quoq; concessum medicamentum profitentur. Nil itaq;*

itaq; & ego huic excellentiæ & dignitati detractum volo, cum Deus sit fons omnis bonitatis, & salutem corporis quoq; nostri promovere, paternè curet: Nec dissentientes alios hic video Medicos, inter illos Joubert. tr. de Peste c. 19. *hanc omnium compositionum Reginam cœlitus traditam esse fatetur.*

XIII.

Particularis causa est duplex: alia respicit primam inventionem, alia successivam Compositionem: Illa defertur Andromacho Seniori pessimi Imperatoris Neronis optimo & celeberrimo Medico; Qui primitùs hanc Theriacam composuit, & ne vel ponderum vel ingredientium ratio mutaretur, totam compositionem metro includere, posteritatiq; consecrare voluit.

Mithridates, potentissimus ille Rex, qui duabus & viginti gentibus imperavit, earumq; linguas adeò perfecté calluit, ut earundem legatis nunquam per interpretem responsa dederit, tanti Medicam artem fecisse dicitur, ut neglecto ad tempus Regio solio, lucos inaccessos perlustraret, abditos terræ recessus investigaret, simpliciaq; sedulò conquireret remedia, quæ lethalibus ictibus & morsibus mederentur: Inventa in hominibus morti destinatis expertus est, ut cuinam Veneno proprium Alexipharmacum opponi posset, cognosceret: Hinc aliud simplex phalangiis, aliud Scorpionibus, aliud Napello, aliud alii adversari didicit. Tandem divino certè instinctu, unum ex pluribus meditatus est compositum, quò eo ipso pluribus Venenorum

generibus mederi posset. Hoc ipsum ab autore Mithridatium fuit dictum, & à Pompejo Magno Regem Mithridatem bello subigente inter alia inventum, Romanis fuit communicatum, unde sanè plus laudis, quàm ex ipsa victoria reportavit. Andromachus noster, ut hoc ipsum Pharmacum magni æstimavit; ita ad ejusdem normam aliud adversus nonnulla efficacius, composuit, cui Theriacæ nomen postmodum fuit impositum. Hic ipse verò Andromachus, Gal. l. ad Pis. c. 1. *referente. celeberrimus fuit Medicus, artem Medicam ad summum usq; edoctus, nec faciendo solùm, sed dicendo etiam vehementer exercitatus, genus suum ex Creta Insula, complurimis herbis refertissimâ, ducens, Archiater Neronis, in cujus gratiam hoc medicamentum condidit, simul & versibus conscriptum dedicare voluit. Nec sine causa more antecessorum suorum ligatum soluto prætulit stylo: Cùm enim plurimi novitatis, & fictæ cujusdam sapientiæ pruritu titillentur, queîs nil antiquum, sed quod novum est, arridet, nec immutatum quicquam relinquant, voluit autor ingredientia & dosin eorundem adversus omnem reformationem munire, nam ex metro quid mutatum, subtractum, additumq; sit, facilè patet. Hinc non sine causa Junioris Andr. sive filius S. Nepos ejus fuerit, descriptio eum apud nos locum non meretur, & non sine causa postponitur. 1. Quod prosâ oratione fuerit delineata, quæ facilè emendationem aliquam ab aliis incurrere potuit. 2. Quod non parum à mente Senioris recedat in translocatione, additione & subtractione nonnullorum simplicium. Quo verò in censu eæ compositiones Theriacales habendæ sint, quæ pro cujusq; Cerebro fictæ & vel infinitis addita, vel etiam ex aliis diversis extructa sint, facilè quis judicare poterit.*

XIV.

XIV.

Ad ſucceſſivam compoſitionem referuntur omnes illi Medici & Pharmacopœi, qui à tempore ipſius Andromachi S. in noſtra usq; Antidotũ hanc dextrè & legitimè confecerunt, & adhuc dum conficere eandem allaborant.

Duæ horum claſſes poſſunt conſtitui: ad primam Veteres Galenum vel antecedentes, vel ſubſequentes; ad ſecundam Recentiores patrum noſtrorum memoriâ vel etiam noſtro tempore celebres rediguntur. Anteceſſerunt Galenum, eiq; nonnulli côætanei fuerunt: inter alios Xenocrates ſolius Sagapeni doſin adaugens. Democrates in aliorum pondere nonnihil diſcrepans; Magnus, medicorum Galeni ſæculo præſes, & Demetrius & ipſe Medicis præſidens, quorum Gal. ad Piſon. c. 12. *honorificam facit mentionem. Subſecuti ſunt infiniti alii Romani, Græci, Arabes, Galli, Angli, &c. donec & Germania pretioſiſſimo hoc Theſauro ditata eſt, à quibus & ad nos Poruſſos Pharmaci huius compoſitio dimanavit. Ut enim taceam florentiſſimas Gedanenſem & Thorunienſem Reſpubl. ubi ſummâ dexteritate & ſingulari cum fructu Antidotus hæc componitur. Quem latere poteſt eximia Pantzerorum Regiomontanorum (ut de aliis nil dicam) ſolertia? qui nullis ſumtibus, nullisq; laboribus & difficultatibus in conquirendis genuinis ingredientibus hactenus pepercerunt, ut veram & legitimam ad mentem Androm. S. & hic Regiomonti Poruſſorum nobis exhiberent Theriacam, quæ num cedat Venetorum Theriacæ, alibi aperiam.*

XV.

MATERIA sunt ingredientia omnia & singula, ex quibus Antidotus hæc est conflata, ex classe Vegetabilium, Animalium & Mineralium desumta; quorum Generalis consideratio & Quantitatis & Qualitatis simplicium exigit scrutinium.

XVI.

Quantitas tria respicit, 1. Numerum ingredientium, 2. eorundem Immutabilitatem, 3. Succedaneorum genuinam notitiam.

XVII.

Numerus in multitudine materiæ consistit, quæ gravissimis de causis, optimo consilio & sanâ ratione ab Andromacho fuit observata, teste Gal. ad Pison. c. 3.

Plinius l. 29. N. H. *impudenti planè calamo Theriacam, ut & Mithridatium ob multitudinem ingredientium perstringit hisce verbis:* Theriace vocatur excogitata compositio luxuriæ: fit ex rebus externis, cùm tot remedia dederit Natura, quæ singula sufficerent. Mithridaticum Antidotum ex rebus 54 componitur, interim nullo pondere æquali, & quarundam rerum sexagesima denarii unius imperata. Quo Deorum perfidiam illam monstrante? Hominum enim subtilitas tanta esse non potuit. Ostentatio artis & por-

tentosa scientiæ venditatio manifesta est. Ac ne ipsi quidem illam novêre. *Verùm, quàm hac omnia prater rationem effutita sint, pluribus demonstrat* Tidic. in tr. de Theriac. à pag. 45. ad 49. *ubi omnia & singula membra examini subjicit. Vanitatem quoq; illius judicii, & dignitatem nostra Theriaca sequentium Problematum enodatio docere poterit: Quaritur autem 1.* An & Cur opus fuerit tanto simplicium numero? 2. Utrum domestica externis semper præferenda, hæcq; illis postponenda? 3. An ponderis æqualitas exactè servanda? 4. An exigua unius ingredientis portio in una dosi, quid prodesse valeat.

Ad primum: Dolosè, ut habet ex Villanovano Heurn. meth. ad prim. *aut frustra quarit is Composita, qui simplicibus mederi potest; plus tamen eum hallucinari statuo, qui, quod simplici non valet, composito perficere recusat. Si solis simplicibus universos prater naturam affectus curare liceret, nullus utiq; compositi unquam usus foret, inquit* Gal. 1. de compos. med. s. g. c. 3. *at frustra id molimur, cùm & affectuum, & Naturarum, ut dictum est, conditio aliud suadeat, moneat, imperet. Hinc & gravissimis de causis farraginem hanc simplicium Androm. adhibuit. 1. ut ex* Galeno ad Pison. cap. 5. *colligitur,* ob varietatem venenorum: *Cum enim alia sint Animalium, alia Vegetabilium, alia Mineralium, & singularum classium innumera species, quarum alia aliam edit operationem, & suum queq; specificum desiderat alexipharmacum (nec enim quodvis cuivis medetur, nam quod canis rabidi morsui opponitur, nil confert Vipera aut Scorpionum ictibus; quodq; adversus Colchicum, aut Aconitum pugnat, inefficax est contra Opium, Cerussam, Cicutam, Nerium & similia) plurima sanè misceri debebant, ut uno*

hoc misto variis mederi possemus venenorum generibus? Vix autem excogitari poterit Venenum, quod à Theriaca tanquam certissimo alexipharmaco non expugnetur. 2. Propter occultationem ipsius Veneni; *ut innuit* Averrh. tract. de Ther. c.1. *Venenata enim sæpissimè hauriuntur pocula, ubi de genere Veneni nil constat, qui ergo certum ipsi remedium opponere poterimus? Theriaca autem ex multis mixta, instar Universalis cujusdam sese habet, quæ etiam nobis ignoto medebitur Veneno.* 3. Ob aliorum morborum diversitatem: *Nec enim solis Venenis dicata est, sed & aliis tàm Internis, quàm Externis morbis, quorum curatio feliciter absolvitur unico hoc remedio ex pluribus composito, quod à simplici aliquo nunquam sperari posset.* 4. Ob viscerum internorum differentiam; *aliud enim Cor, aliud Cerebrum, aliud Hepar, aliud Uterus, Lien, &c. requirebant, necessariò itaq, Cephalicis & Cardiacis, Hepatica, Uterina, Splenetica & similia misceri debebant, ut partes illæ à morbo aliquo obsessa eò feliciùs restitui possent.* 5. Ob temperamentorum discrepantiam, *nec enim cuivis quodvis propinari potest, sed quod huic medicamentum est, alteri in Venenum abit, & contra: Quam dextrè autem etiam diversis Temperamentorum generibus satisfaciat Theriaca, alibi monstrabitur.* 6. Propter causas & requisita ad Compositum facientia. *Nam basi principaliori adjungenda erant alia, quæ actionem ejus promoverent; alia, quæ ad partem destinatam facultatem ejus q, manu ducerent, alia, quæ nonnullorum ingredientium vim castigarent, alia quæ ad genuinam mistionem & conservationem facerent. Quod sanè paucis nequaquam expediri potuisset.*

Ad. II. Malè Plinius, Paracelf & alii Exotica respuunt; licet enim domestica, ubi locum inveniunt, meritò aliis

to aliis præferenda, & arrogantiam quandam sapiat, in Exoticis tantùm subsistere quasi Natura nobis noverca sit: tamen necessitate sic urgente, & Exoticis suus relinquendus locus: nam & hac de causa Navigationes à Deo hominibus concessæ, ut illarum medio ex dissitis etiam locis utilissima quæq; non tantùm ad victum & amictum, sed & morborum propulsionem facientia, ad nos deferri possent. Sale carere haut possumus, non tamen quævis terra eundem ad cibum idoneum profert. Cinamomo & Caryophillis, quorum maxima est necessitas, nil simile apud nos reperitur: Verum & nos ipsi aliis succino, baccis Juniperi, Cornu & Ungulis alcis & similibus succurrimus.

—— nonne vides Croceos, ut Tmolus odores,
India mittit Ebur, molles sua thura Sabai,
At chalybes nudi ferrum, virosaq; Pontus,
Castorea, Eliadum palmas Epirus equarum.

Deinde non ex puris Exoticis hæc Antidotus paratur, plurima enim, imò ferè ultra dimidietatem domestica sunt, & apud nos quoq; reperiuntur: nonnulla etiam nunquam antehac hìc visa, singulari industria, non sine ingenti delectatione, apud nos jam coluntur, & ad Theriacæ compositionem commodè usurpari possunt.

Ad. III. Insulsè ingredientium urgetur æqualitas ponderis, cum ea sint diversarum facultatum & virium: admitteretur illa, si omnia in Qualitatibus certisq; inter se gradibus conspirarent, & ad unum scopum collimarent: prudenti itaq; consilio in sex classes doses distributa sunt, ut sic & effectus felicior à composito hoc expectari posset.

Ad. IV. Non corpus ipsum, sed virtus & qualitas remedii simplicis attendenda, unde vel semigranum unius facultate superat etiam drachmam alterius: & quia à toto

composito effectus expectatur, quid opus erit Arithmeticâ in designatione portionis operantis?

XVIII.

Immutabilitate illâ hoc volo, ut nil hujus descriptioni vel dematur, vel addatur, nisi summa urgeat necessitas: In defectu tamen unius vel alterius certa succedaneorum observentur requisita.

Galen. 1. de Antidot. c. 1. *testatur, se in conficienda Theriaca, quam Antonino Imperatori paravit, neq; omisisse, neq; addidisse quicquam, sed ea solum imposuisse, quæ ab antiquis Imperatorum Medicis imponi consuetum fuerat: unde nec contemnendum est consilium,* Avicenn. l. de Theriac. *ut sc. nil removeatur, quod experimentum juvativum invenit; fortasse enim inquit, illa complexio cum illo pondere exigit illud, cujus juvamentum invenit experientiam, quam quidem dum res ipsa movetur à suo pondere, non consequitur illam proprietatem. Horum tamen celeberrimorum Naturæconsultorum sententiæ non subscribit* Quercetan. Pharm. Dogm. p. 518. *fæcundam enim hodiè dicit esse Artium inventricem, eamq; indies magis magisq; incrementum sumere. Quâ duce & auspice plurimorum remediorum usum, quem Veteres tanquam utilem comprobaverant, sese abdicasse, & in illorum locum, alia suo artificio inventa, introduxisse; hincq; subtractionem & additionem in Theriaca quoq; locum habere posse statuit, & sic Rhabarb. agar. chalcitid. tanquam supervacanea & inutilia ejicit, & præ foribus stare præcipit. Huic errori omnes illi subscribunt, qui à tempore Andromachi in hac usq;*

usq; vel circa ingredientia, vel etiam legitimam dosin mutationem instituere haut erubuerunt. Pessimè tamen 1. quia sic nullus ulli composito etiam per aliquot sæcula comprobato, relinqueretur locus, cum nemo tam abjectæ doctrinæ sit Medicus, qui non vel aliquid addere, vel etiam subtrahere, aut pro arbitrio suo subsistuere posset: plurima enim reperiuntur simplicia in eundem effectum cum aliis conspirantia, quæ ex mera reformandi libidine in alterius locum surrogari possent. Omnia & singula Quercetani Antidota, Aquæ composita, Extracta, Electuaria, &c. censuram haut effugerent; cùm, licet affabrè & doctè sint concinnata, facilè quid iis demi, aut addi possit? 2. Nonne ex additis & subtractis Theriacalium ingredientium proportio, quam tamen Andromachus strictè observari voluit, immutabitur? 3. Nonne sic Experientiam per tot annos comprobatam repudiaremus, aut certè in dubium vocaremus? 4. Correctione illâ, & deformatione non Theriaca nobis relinqueretur, sed aliud quid: quemadmodum ex subtractione & additione nonnullorum ingredientium Theriaca desiit esse Mithridatium, hocq; sui generis permansit Antidotus: ita nec Theriaca castrata, aut superfluis onerata amplius nomen Theriacæ veræ merebitur. 5. Circa effectum, qui toties à Vera Theriacæ usu dimanavit, hæsitaremus, nec correctâ illâ ita tutò uti possemus. Est Augustanis sua Theriaca absq; Viperinis carnibus; aliam describunt Bononienses plurima alia simplicia admiscentes, alii aliam exhibent, nullam tamen harum eâ pollere virtute, quam Andromachi S. hactenus prodidit, vel illi ipsi fatebuntur. Non tamen eodem modo Extractum Theriacæ rejiciendum existimo, aliud enim est mutare ipsa Compositi ingredientia, aliud verò servatis iisdem totius essentiam extrahere, ita ut idoneâ fermentatione factâ, & omnibus

invi-

invicem legitimè unitis, terrestrior pars separetur, & nucleus ipse reservetur: in omnibus tamen Naturis, morbis, &c. Extractum praeferendum esse ipsi Theriacae vulgari non dixerim, sed omnia dextrè & ad amußim pensitanda erunt: nam ut habet Steegh. l.1.Med.Pract.c.15. *saepè integrae rei virtus necessaria est, craßioresq; & materiales partes non rarò usui sunt.*

XIX.

SUCCEDANEA sunt Medicamenta in alterius deficientis locum surrogata. Substantiä, Qualitate, Quantitate & Proportione eidem respondentia.

Patitur regula quaevis suam exceptionem, necessitasq; legi collum subducit. Cum ergò temporum injuriâ nonnulla simplicia planè non deferantur ad nos; alia verò adulterata nonnunquam, providendum erit, ne iis in totum destituatur compositio: Quare vires potius ipsas Naturae consulti prudentiores, quàm ipsum corpus attendere voluerunt. Licet autem nullum detur simplex, quod per omnia alteri sit simile, sed aliquam semper obtineat differentiam, consensus tamen principalium Qualitatum, tàm manifestarum, quàm occultarum identitatem quandam infert. Hinc & Succedanea originem trahunt; Quae duplicia à Marant. l. 1. de Ther. c. 8. *constituuntur: alia sc. impropriè dicta, quae aliquali ratione unum eundemq; morbum sanando respiciunt, quanquam aliàs sint admodum diversa: Sic in sibilu aurium & dolore earundem ex causa frigida Aloë in liquore aliquo dissolutâ utimur, in cujus defectu substituitur Chalcitis aut Nitrum, aut Aristolochia, quae singula in*

la in affectu prædicto quidem conveniunt, at quia alias maximè inter se differunt, in aliis morbis nulla ratione succedaneorum rationem obtinent. Propriè dicta verò sunt illa quæ dictis in Aphorismo conditionibus consentiunt.

XX.

Substantia exigit eandem crassitiem, tenuitatem, levitatem, gravitatem, raritatem, densitatem, lentorem & friabilitatem.

Ita Sonchus Endiviæ, Plantaginis portulaca commodum statuitur succedaneum, cum illa tenuitate, hæc crassitie inter se conveniant.

XXI.

Qualitates non tantum primæ, sed & secundæ & tertiæ attendendæ; imò Occultarum quoq; per experimenta comprobatarum ratio exacte habenda: Gradus quoq; Caloris & Frigoris, Odoris, Saporis, nec non virtus aperiendi, menses ciendi, purgandi & similia attendenda.

Malè calido in tertio gradu substituitur calidum primi gradus, aut econtra: licet enim triplâ dosi deficientem caloris gradum augere possemus, subsequenti tamen conditioni, eandem exigenti quantitatem repulsam daremus. Identitatem quoq; Solis & Soli hic nonnulli urgent: Verum ut in nonnullis id concedi potest, ita non in omnibus. Sunt enim quædam quæ eximium Solis desiderant calorem; & frigoris impatientia sunt, & sic Italiam, Græciam, Cre-

tam & similia loca natale agnoscunt solum: nec enim nostra regio pomis & fructibus Citri, aurantiorum, Granatorum & similium ferendis accommoda est. Quædam tamen sunt, quæ si non majorem, certè eandem proprietatem obtinent, etiamsi ex aliis locis huc translata sunt; quod Scordium, Chamepytis, Chamædris & ejus generis alia comprobant. Sunt deniq; alia, quæ culturâ & transplantatione venenatam suam deponunt malitiam; nec enim exiguus notatus est Transplantationis effectus, cùm ejus beneficio innumerorum simplicium, acris, amara, & infesta Qualitas cum dulci, suavi & benigna commutetur. Persea præstans inquilinum Venenum, translatione mitescit: Scilla, Helleborus & alia venenata hoc medio corriguntur, ut doctè monent Heurn. l. 2. meth. ad Pr. c. 4. Quercet. Pharm. Dogmat. p. 543. Horst. l. 2. Epist. med. s. 1. p. 408.

XXII.

Quantitas necessariò eadem servanda, ne eâdem auctâ aut diminutâ augeatur, aut imminuatur ingredientium proportio.

Cum certâ & determinatâ dosi quodlibet ingrediens sit designatum toti compositioni, malè eidem vel augendo vel imminuendo consuleremus: hac de causa ferè nulli Medicorum arridet, quod Gal. lib. 1. de Antidot. c. 13. & Aet. f. 13. c. 91. & c. 101. *pro Cinamomo duplum Cassia substituendum censeant. Idem de aliis esto judicium.*

XXIII.

Proportio quoq; inter simplicia attendenda, ut, flori flos; semini semen; radix radici; ligno

ligno lignum; ſuccus ſucco; lachryma lachrymæ ſuccedat, ne, hoc neglecto difficultas aliqua in miſtione oboriatur.

Andromachus S. exactam tenens miſcendorum rationem certam ſiccorum, humidorum, & ſolubilium obſervavit proportionem. Si itaq; pro radice lachryma, pro ligno ſuccus, aut econtra quid ſubſtituti vices teneret, tunc vel minus vel etiam plus liquoris Theriacam ingrederetur. Hinc optimo, ut docent Medici, conſilio pro Opopalſamo, vel Oleum nucis moſch. expreſſum, vel balſam. Indic. loco Carpobalſ. Nux myriſtica: loco Xylobalſam. lignum aloës: pro Coſta zedoaria: pro Amomo Cubebæ: pro Aſpalatho Santalum citrinum locum tenere poterunt.

XXIV.

Pauciſſima autem ſint illa ſuccedanea, ne numerus excedens toti compoſitioni mutationem inferat, & potius aliud quid, quàm vera Theriaca inde expectanda.

Multum laboris, immenſi ſumtus, eximiæq; difficultates in conquirendis ſimplicibus requiruntur: teſtaturq; Galenus, qui Romæ Imperatori ſuo Theriacam compoſuit, ſibi ex Syria, Palæſtinâ Ægypto, Cappadociâ, Ponto, maximè verò ex Macedonia & aliis locis medicamenta ad Theriacæ confectionem neceſſaria fuiſſe allata, unde vix uno, aut altero opus fuit ἀντιβαλλομένω. Quinimò tantum laboris ſuſcepit, ut & quorundam ſimplicium ad Theriacæ præparationem neceſſariorum gratia ipſe peregrina adierit loca. In inſulam Cyprum navigavit Chalcitidis cauſa, cujus

cujus etiam tantum pondus illinc se avexisse testatur l. 9. de simpl. medic. facult. sub tit. Misy. *In Syriam quoq; Palestina Bituminis; in Lemnam terræ Lemnæ gratiâ profectus est, & hujus Sphragidum millia viginti secum inde avexit. Millichius Pharmacop. Venet. in dispensat. suo p.* 111. *refert, se in dispensatione Theriacæ Anno 1573. facta quinq; tantum desiderasse succedanea, ita ut loco Opobals. ol. nuc. mosch. exp, pro Carpob. baccas Juniper. pro Amom. amomum racemos. pro Acor. calam. aromat vulgar. pro folio folium officinis usitatum substituerit. Nos eâdem felicitate hic Regiomonti in confect. Theriac. gavisos esse, specialis materiæ enodatio monstrabit. Sex autem ad summum sufficiant, eaq; talia sint, quæ verorum requisita obtineant; Si enim decem, quindecim aut Viginti substituerentur aliorum loco, nil aut certè parum Theriacalis virtutis inde ad nos redundaret.*

XXV.

Qualitas bonitasq; materiæ generaliter consideratæ restat, quæ sequentem suggerit regulam. Omnia & singula simplicia in sua specie sint perfectissima, tempore convenienti collecta, & quidem iis in locis & Regionibus, in quibus sunt efficaciora, notas integritatis præ se ferentia.

Notat Galen. quendam in eo omne studium collocasse; ut præstantissimum haberet Opium, de aliis non ita sollicitam egisse curam: Fuerunt alii, qui in electione solius Myrrhæ, alii in Galbani & similium particularium conquisitione similiter desudarunt: Verùm non sine maximo ipsius

ipsius Compositi detrimento, quum hujus unius prædominio cæterorum virtus quasi sopita permaneat, sicq; vix umbra veræ Theriacæ sese nobis offerre possit. Quare id sedulò omniq; studio peragendum, ut omnia & singula, nullo nec minimo excepto, optimæ sint notæ, & laudatæ facultatis. Radices singulæ debito tempore colligantur, cortices habeant æquales, sint rimarum expertes, bonæ substantiæ, coloreq; nativo haut defraudatæ, densæ & æquales. De Corticibus idem esto judicium. Semina si sint separata, matura debent esse, si plantæ adhærentia propinqua sint maturationi, solida, cortice claro, non rugoso. Flores vegetam obtineant naturam, vivumq; colorem, ut & exsiccati quasi recentes conspiciantur. Succi, lachrymæ & alii liquores non sint exusti nimis, aut inveterati, sintq; efficaces quoad proprium odorem & saporem.

XXVI.

FORMÆ consideratio duplex sese nobis offert: alia quæ ipsum Medicamentum componendum s. formulam respicit; alia, quæ ipsum Compositum. Illa est concinnus & admirandus omnium ingredientium ordo, ad normam & regulam medicam. compositorum factus, singulari studio, artificio & prudentia ab Andromacho S. observatus & notatus.

Quemadmodum Empirici & cum iis Thessalus universa ferè composita medicamenta ad Insomnia, Fortunam & Casum olim referebant, quorum tamen somnia perstringit, Galen l. 1. de compos. med. s.g. c.1. *ut &* l. 2. c. 1. *ita & cum nonnullis* Fallopius *satis injuriosus & iniquus*

 est

est in Andromachum ejusq; compositionem; *Nam* tract. de Thermis. c. 10. Theriacam & Mithridatium Empirica dicit esse medicamenta sine ratione composita & coacervata, cum in illis multa sint superflua, multaq; contraria, quodq; ad multos etiam inter se contrarios effectus faciat & conferat; cùm tamen ratio non patiatur superflua in medicamento poni; multò minùs, quæ inter se contraria sunt, quodq; unum medic. varios & inter se pugnantes morbos sanet: experientiâ tamen esse compertum, & in usum jam receptum Theriacam propulsare ac fugare varios morbos, eosq; contrarios, quamvis Casu sit composita, & superflua in ipsa fuerint posita. *Verumenimverò absq; ratione hæc effutita esse quisq; judicio menteq; non destitutus dijudicare poterit. Quod nulla sint superflua ex* Aphor. 17. *liquet, & notat* Marant. l. 1. p. 6, *diligentissimâ habitâ ratione, & maturo sanoq; judicio adhibito tam varia esse adhibita, ita ut nullum in hoc composito sit simplex, quod si mutetur, auferatur, aut in quantitate varietur, si non universam, aliquam saltem compositionis partem labefactari. Quod verò contraria nonnulla addita sint, id potius de primis & secundis, quæ tamen secundariò tantùm hìc attenduntur, quam de occultis intelligendum, quæ non sine causa hìc primas tenent: Deinde lex compositionis id vult, ut medicamentorum calidiorum vis opposito frigidiore aliquantulum infringatur, fortiorumq; vis mitigetur. Tandem & in ipsis mistis simplicioribus contrarietatem quandam conclusam esse animadvertimus, Rhabarbarum enim laxat & adstringit. Aloës aperit & adstringit: simile quid in lapato, brassica, lacte & alius videmus, attestante* Gal. ad Pis. c. 4. *& aliis in locis.*

qui

Qui verò contrarios effectus edere poßit aph. 29. in com̃. q.2. *monstrabit. Casu autem, & absq; ratione judiciove esse hæc omnia conflata, nemo dixerit, qui mentem & intentionem Andromachi S. paululum rimatus fuerit. Is enim ad exemplum Regis Mithridatis præstans quoddam voluit concinnare Pharmacum, inprimis contra Venena cujusvis generis militans; hinc basin principaliorem constituit Viperas, quarum non quantitas, sed qualitas æstimanda, cùm earundem vel pauca grana Venenis apprimè resistant: ut verò vis hæc alexipharmica & Bezoartica omnibus inprimis principalioribus partibus deferri posset, specifica singularum partium Basi adjunxit, quæ & partes ipsas respicerent, simul & insitâ suâ alexipharmacâ vi actionem Viperinarum carnium juvarent: reperiuntur enim in hac compositione Cephalica, Pectoralia, Cordialia, Hepatica, Stomachica, Uterina, Splenetica, Nephritica, Arthritica & similia: Horum cum nonnulla calidiora & acria essent, necessariò ab aliis, ne noxam quandam inferrent corpori nostro, mitiganda erant: Imò ne effervescentia insignis humorum daretur inprimis Veneno corpori ingesto, aut Pharmaco fortiori irritante, talia admiscenda erant, quæ frenum q. humoribus injicerent, & Narcosi suâ quietem eis conciliarent; quò sic basis principalioris vis eò felicius & potentius adversus hostem suum insurgere posset. His ita admirando modo mixtis, non possunt non & aliæ ipsis simplicibus insitæ facultates suas, neceßitate sic exigente, Naturâq; non repugnante, exerere Virtutes, quæ, ut dicetur, ad primarum & secundarum qualitatum classem referuntur. Quinimò ipse Quercetanus, licet Catonianam sibi sumserit censuram ut in alia, ita & in hanc Antidotum, nihilominus tamen ordinem egregium designat, quò omnia secundum facultates*

suas

suas disponuntur, & in sex classes dividuntur. Prima adsignat classi Troch. Theriacal potissimum, ut & Tr. Scillæ & Hedychroi basi principaliori succurrentes, & Alexiterii vim augentes. Secunda ea, quæ Anodyna sunt, horumq; simul proprietates insistendis & coërcendis omnis generis impetuosis defluxionibus & Hæmorrhagiis intendunt. Tertia specifica & singulis partibus dicata. Quarta ea, quæ sanguinem & spiritus calefaciunt, naturamq; nostram instaurant, & corroborant. Quintæ, quæ Balsamum corporis nostri radicalem ab omni putredinis & corruptionis infectione tuentur & præservant. Sextæ, quæ attenuant, dissolvunt deoppilant, caputq; & Uterum roborant: & licet tria Rhab. sc. Agar. & Chalcit. rejiciat, tamen, quo jure, suo tempore examinabimus. Non itaq; confusum quoddam est Chaôs, stultâ quâdam incogitantiâ, & absq; ratione ex pluribus conflatum, sed medicamentum potius summo mentis acumine excogitatum, dextrè concinnatum, affabreq; compositum, ut & alexipharmacum quoddã universale contra quævis Venena valens, simul & laudabilis quædam Panacæa contra gravissimos totius corporis affectus militans esset. Experientiâ quidem duce plurima ingredientia sunt inventa, imò effectus admirandi hujus Pharmaci notati, at ut illa cum ratione fuerunt disposita, ita & horum ratio postmodum manifesta dari potuit. Et cum ab Horat. Augen. l 5. epistol. medic. 10. p. 112. *triplex constituatur remediorũ genus, aliud quod solâ ratione, aliud quod solâ experientiâ, aliud quod duce ratione, & Experientiâ comite sit inventum, non sine causa cum eadem Theriacam & Mithridatium ad tertium genus referimus. Ratio enim compositionem invenit; Experientia de Inventorum virtute decernit, ut loquitur* Galen. l. 1. de compos. med. s. g. c. 4.

XXVII.

XXVII.

Forma ipsius Compositi est, Interna ejus Essentia ex atomorum consensu & dissensu beneficio fermentationis ita exaltata, ut mediantibus Qualitatibus admirandos edat effectus.

Duo hìc necessariò dispicienda 1. Qualenam sit Mistum Theriaca? 2. An unâ, an verò pluribus gaudeat formis? *Circa primum vult* Piccolomin. l. de Mist. c. 13. p. 1235. *non veram hìc dari mistionem, cùm illa solius Naturæ opus sit, sed compositionem, vel juxta positionem cum aliqua alteratione. Idem ferè sentit* Zabarell. tr. de Mist. c. 13. p. 476. *Theriacam sc. nullam habere veram mistionem, vel si habeat eam Elementorum esse mistionem, non mistorum Theriacam ingredientium. Hisce sese opponit* Cl. Sennert. in Hypomnem. *& postquam cum* Scalig. exerc. 101. s. 1. *statuisset, mistionem non esse miscibilium alteratorum unionem, sed motum corporum minimorum ad mutuum contactum, ut fiat unio, simulq; trium Mistionis graduum, aut modorum ex eodem fecisset mentionem (quod sc. alius modus sit eorum, quæ ubi coïere rursus dissolvi ac dissita esse possint, ut Aquæ & Vini, Auri & Argenti mistiones, quæ non faciunt unum formaliter, sed per accidens saltem, & dicuntur potius Cramata, suntq; tot entia, quot intus & extra corpora: Alius eorum, quæ difficilius dissolutionem admittunt, ut Nix, Ros, & meteora reliqua, ut & glebæ, lapides, &c. quæ aliis dicuntur Entia inchoata: Alius eorum, quæ nullâ prorsus ratione dissolutionem patiuntur, qualia sunt illa, quæ vegetantur & sentiunt, dicunturq; nonnullis Composita) tandem in fine capitis hisce concludit:* Cū primùm ingredientia Theriacalia con-

funduntur Crama posse appellari, sed ubi postmodum per Fermentationem omnia per minima uniuntur, vera mista dici. *Huic sententiæ ut subscribamus, sequentes suadere videntur rationes. 1. Quia hic est vera secundum mentem Scaligeri mistio; corpora enim moventur ad mutuum contactum, ut fiat unio. Artis quidem opus est præparare omnia & singula ad mistionem necessaria: soliùs verò Naturæ ipsam instituere mistionem, quæ fit beneficio Fermentationis, cujus similem dicit esse rationem* Fernel. l. 1. de abdit. c. 3. quæ mistionis in rebus naturalibus. 2. *Quia perfectâ fermentatione non Crematis modo uniuntur partes, ubi sensibus quidem minus manifesta est illa resolutio, interim Sapientum intellectibus non occulta, ut loquitur* Scalig. l. c. *sed instar veri misti: Impoßibile enim, ut vel ab artificiosißimo quoq; ita simplicia egredientium vicißim educi poßint, ut pristinam suam & propriam Naturam exhibeant. 3. Quia qualitates inde, tanquam à vero misto promanant, ita ut in singulis etiam minimis dosibus virtus expetita elucescat. Si tamen cui magis arridet Theriacam vocare Compositum, quàm Mistum Aristotelicum, ita ut hoc sit id, quod ex subtilioribus & quasi primis principiis unitur & miscetur: illud verò quod ex perfectè jam mixtis componitur, cum eo non litigabo, cum potius circa verba, quàm rem ipsam sit dissensus. Quod secundum attinet quæsitum* Utrum unam vel plures Theriaca obtineat formas? *id majoribus involvitur difficultatum tricis; ita ut acutißimus Scaliger ipse exclamet.* Utram sententiam, *inquiens*, magis probem, haut facilè dixerim. Nam & absurdum videtur in continuo uno statuere plures formas (*cum unica tantùm sit forma in omni re* Fallop. de med. purg. c. 4.) & formarum naturæ non videtur convenire,

ut

ut qui actus sint, fiant potentiæ: tamen. si cogar effari, quod in hac humana caligine sese offert mihi, fateor, me vinci à sententia posteriore. Sunt enim formæ hæ actus materiæ quisq; suæ. Quæ materiæ, quia sunt à Natura ad operosiorem compositionem institutæ. factum ab eadem esto, ut quemadmodum ipsæ, sic & earum formæ commisceri queant, *&c.* Galenus ad Pison. c. 10. *vult admistæ cujusq; vim medicinæ eandem, immutatamq; non servari, verum ex omnibus unam quandam resultare. Nam, cùm quodq; simplex alteri virtutem suam communicet, una quadam alia Temperatura, virtusq; ex ipsis consurgit; & paulò post:* In Theriaca non amplius una cujusq; simplicis medicinæ facultas, qualitasve permanet, sed singulis quibusq; congredientibus, & naturalem quandam unionem subeuntibus, quædam alia, diversaq; ex omnium confusione Natura procreatur. *Idem ferè vult* Silvatic. qui tract. de Theriac. p. 265. *censet: Simplicia, ex quibus constant composita suam formam exuere, aliamq; omninò diversam induere, quæ Compositi forma esse dicitur: Idemq; de Theriaca fatendum, quæ suam formam ex medicamentorum mistione & unione acquirit. & nihilominùs per Qualitates primas agit:* fatemur nosquoq;, *inquit*, simplicem simplicium medicamentorum formam in compositione deperdi, tertiamq; aliam enasci omnium diversam: in hac tamen primarum qualitatū vires adhuc servari, non quidem quasi simplex medicamentum quodvis vires suas servare posset, interim tamen Compositum exsiccare, humectare, excalefacere, refrigerare. *Hancq; formam vocat Theriacæ specificam*, p. 274. *occultam*, p 264. *cœlestem*, p. 270. *non Substantiam tamen, quia non propriè à Natura introduci-*

tur, cùm partes multas in Opificio habuerit Ars p. 267; nisi impropriè substantialem quis dixerit. Clariss. Heurn. l. 2. meth. ad prax. p. 89 *sic ea de re statuit.* Quia, *inquit*, sensibus humanis inexpertus est modus & Idea fermenti, obscura & anceps, imò incerta erit illa forma, quæ ex variis rebus mixtis surget. Cumq; sese mutuò pervasêre fermentationis vi, nulla Naturæ tam valida vis in nobis efflorescit, quæ semel ita commista divellere possit, sed nova quædam Idea ex illorum concursu nata sese exerit. Hæc autem recens enata vis, quam potestatem exercere possit in nostrum corpus, solus usus aperit, quamvis alioquin num facultas adsit calefaciendi, humectandi, incidendi, &c. loquantur rerum injectarum qualitates. *Verumenimverò licet τὸ ἐπέχειν hic usurpare possem, cum vix quid certi in hac mentis nostræ imbecillitate asserere valeamus, & quædam humanæ sapientiæ pars sit, nonnulla æquo animo nescire; & vera sapientia nolle nimium sapere,* Scalig. exerc. 307. s. 29. & exerc. 274. *magis tamen arridet mens Scaligeri, & ita quidem, ut statuam, Formas inferiores ita esse à Deo creatas, ut non tantum sint uniformes, & ad dispositionem ipsius corporis actiones suas exerceant & varient, sed & invicem in mixtione suorum corporum conspirent, & quasi uniantur, ut licet singulæ singulis rebus remaneant, conjunctis tamen illa generalem quasi quandam constituat formam & essentiam, quæ & tota est in toto, & tota in singulis partibus, nec refugere easdem divisibilitatem, quæ denegatur formæ principaliori & perfectæ. Hujus autem Essentiæ Natura quia nec digitis palpari, nec oculis videri potest, mentis tantùm aciem admittit, & per Qualititates suas unicè sese prodit; quarum historia jam subjungenda.*

XXVIII.

XXVIII.

Qualitates Theriacæ ſunt vel Manifeſtæ, vel Occultæ: Illæ vel ſunt primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ. Ratione primarum calida eſt in ſecundo, & ſicca in tertio gradu: Ratione ſecundarum aperit, penetrat, attenuat, craſſos humores diſſecat, *Gal. ad Piſon. c. 15. 16. Aet. tetrab. ſ. 1. c. 96.* abſtergit *2. ad Glaucon. c. 13.* ſed & incraſſat, adſtringit, reprimit. Ratione tertiarum, menſes movet, urinam provocat, calculum pellit, &c.

Communi & expeditiori inſiſto Medicorum viæ, & Qualitatum differentias ad normam eorundem determino, ne circa peregrina hæſitans principia, & me & alios in labyrinthum confuſæ cognitionis præcipitem. Galen. 8. m. m. 7. Avicenn. tr. de virib. Cord. 2. c. 4. Averr. l. de Theriac. c. ult. *exiſtimant Theriacam minùs excalefacere, magis tamen exſiccare quàm Mithridatium.* Silvaticus *pro diverſitate temporis fermentationi dicati, diverſum quoq; ei adſignat temperamentum. Nam* p. 267. *inquit:* Theriaca uſq; quò fermentata eſt, refrigerat ſtrenuè & exſiccat. A fermentatione uſq; ad ſeptimum & octavum annum excalefacit in primo, procedente deinde tempore uſq; in finem in ſecundo tertium verſus; perpetuò autem tertii ordinis exſiccantium eſt. *Verum ex Hypotheſi quadam minùs firmâ id colligit: præſupponit enim cum Veteribus Opium ſummè eſſe frigidum, hujusq; temperamentum ante perfectam fermentationem maximè vigere, ſucceſſivè verò immutari;*

frigiditatemq; in principio prævalere, postea verò sensim remitti, & calorem successivè manifestari. Verum Opium potius inter calida locum obtinere, & Narcosin ejus non à frigiditate, sed alio quodam principio provenire, historia ejus specialior explicabit. Cum ergò nulla, aut certè exigua, nulliusq; efficaciæ frigiditas ei insit, cur à calidioribus ea successivè infringi debet? quâ etiam ratione inde Ther, frigida statuenda, cùm vix tria aut quatuor sint ingredientia, quæ frigiditatem prænominantem in primis Qualitatem agnoscunt. Rectius itaq; calida in secundo, & in tertio sicca dicenda Theriaca; Vim tamen manifestæ caliditatis ante absolutam fermentationem non adeò manifestè sese exserere, nec etiam expeti: nam nobilioribus reservatur usibus. Quod verò Galen. l.5 m. m. c. 17. *Matrona Romanæ ob Catharrum salsum sanguinem expuenti Theriacam quatuor mensium exhibuerit, id non ideò factum, ut Opii nondum refrenati virtute frigidâ sanguinem restingueret & somnum induceret, sed potius, ut à Narcosi hunc ipsum effectum, qui & à Laudano Opiato expectatur, expeteret; Eo modo & furentium deliria excitato somno feliciter sedavit, spiritibus sc. turbulentioribus & ferocientibus ad quietem deductis, & placidè quasi ligatis, unde non immeritò nomen Quietis compositioni huic ab Andromacho S. attributum. Circa secundas Qualitates notabilis occurrit quæstio.* Quî Theriaca unum existens remedium diversos tamen, immò contrarios possit edere effectus? Silvaticus p.276. *à diversitate Ætatis idipsum dependere vult: ab initio enim dum adhuc viget frigida illa ab Opio Vis, eam incrassandi adstringendi, reprimendi vi pollere; digerendi verò attenuandi & discutiendi vires adipisci successivè calore predominante:* Jacobus Ferrar, Ideæ Theriac. c. 2. *contrariis ingredientibus contrarios*

etiam adscribit actiones, inquiens: Ingredientia tot sunt numero, tot qualitatibus invicem diversa, & contrarietate pugnantia, ut meritò innumerabiles & contrarias ratione materiei Theriaca edat actiones, insito animantis calore actuata; cui propria forma parem gratiam referens, efficit, ut idem fortiùs ad propulsandas cujusq; generis illatas injurias, evadat, sicq; hac ratione Theriacam contraria posse certò statuimus. Tidic. l. c. p. 42. *sequentibus nodum hunc Gordium solvere conatur.* Quemadmodum, *colligit*, simplicia plurima diversas obtinent vires, imò & pugnantes, quæ effectus etiam edant contrarios, nihilominus tamen à Natura, quæ morborum Curatrix est, & facultatem quamvis in medicamento latitantem in actum producit, hoc elicitur, quod desideratur, quodq; exigitur: Ita etiam ex Theriaca, diversis facultatibus ditata ipsa Natura elicit hoc ipsum, quod sibi conveniens est, & cujus ope ab affectibus liberari possit. Ubi enim διαφόρησις penetratio, apertio, & expulsio ad habitum corporis necessaria est, ibi aperientia, attenuantia, diuretica, tenuiumq; partium, quæ sunt, sese ad opus offerunt: ubi verò fluxiones deorsum ruentes sistendæ, vel alvi solutiones reprimendæ, ibi reprimentia, stiptica, repellentia, &c. quæ insunt officium faciunt. Idq; omne fit Naturâ & internâ virtute corporis hac vel illâ, prout corporis partisq; affectæ necessitas requirit, actuante, in actum vocante, ad opus impellente, &c. cujus ductu impulsuvè hæ vel illæ partes medicamenti assumti, quasi expergefactæ, impulsæ, cœteris contrariis in eandem cum illis societatem receptis non obsistentibus, opus à se requisitum obeunt & absolvunt, ut ita hujus actuan-

tis

cis Naturæ beneficio per Medicinam ex diversis constantem, medela perficiatur. *Verumenimverò plenior erit hujus dubii enodatio, si, qualis hic sit effectuum contrarietas attendatur. Occultæ actiones nil contrarium agnoscunt, semper enim Theriaca Veneno resistit, & à Centro ad circumferentiam malignitatem abigit. Quoad primas manifestas, semper quoq; Antidotus hæc calida & sicca est, similemq; his edit effectum, nec unquam observatum est per se frigiditatem ab eadem obortam esse: & hinc non possunt non secundæ quoq; à primis dependentes aperire, attenuare, incidere, penetrare: & tandem menses movere, urinam ciére, calculum & urinam pellere. At unde astrictoria vis, cum & alvi & mensium immoderatas actiones compescat? Nullâ ratione à frigido, cum hoc adeò exiguum sit in nonnullis, ut nil possit, reliquis calidioribus contraoperantibus; ne dum ab astrictoria facultate, cum adstringentia vix septenario absolvantur numero, & prævaleant contraria, nisi quis terrestrem & Salinam omnium ingredientium naturam iis associare voluerit. Rectiùs verò à Narcotico principio hæ operationes derivantur, cum ab eodem omnis fluxus quicunq; etiam ille sit in corpore nostro figi & sisti possit: hinc &, ut suo loco docebimus, notam veræ & genuinæ Theriacæ nonnulli in eo collocant, si nimia hypercatharsis s. superpurgatio eâ assumtâ sistatur: Interim tamen & per accidens motus ille impeditur, si Theriacæ beneficio subsequatur sudor, unde contrario inducto motu, prior ille cessat. His itaq; præmissis existimo Naturam ab hac Antidoto roboratam id agere, ut non tantum genuinam exinde eliciat virtutem sibi ad propulsandum hunc vel illum affectum congruam, sed & suum jungere robur, & contra eundem insurgere, & pro viribus exterminare; hinc Narcotica & aperientia & alia agent diversimodè, ratione*

diverſarum ſibi competentium Qualitatum: Ita tamen ut aliis per ſe, aliis per accidens cauſa adſignari poſſit.

XXIX.

Occultæ Qualitates ſunt eæ, quarum ratio ex manifeſtis principiis deduci nequit, & tripli- ces dari poſſunt. 1. Eſt Alexiterica, quâ cuivis etiam Veneno dextrè opponitur. 2. Narco- tica, commotos humores & ferocientes ſpiritus figens, dolores ſedans, Naturæq; inducias cre- ans, ut hoſtibus noſtris debellandis ſufficere poſſit. 3. Vis Balſamica internum noſtrum Balſamum reſpiciens, ſingularumq; inprimis principalium partium facultatem roborans, ut adverſus vel ingruentes vel præſentes morbos inſurgat, eosq; expugnet.

Quod in plurimarum rerum naturalium cauſis red- dendis Talparum inſtar cæcutiamus. nec non extremam no- ſtram ἀπαιδευσίαν ſæpè cum rubore deprehendamus, vix infitias ire poterimus. Satius itaq; erit cum aliis ſapien- tioribus & cordatis Philoſophis ἐλευθερίως ſ. ingenuè ſuam hìc Infantiam ac oſcitantiam fateri, quàm μεγαληγόρως ac ſuperciliosè rei abſconditæ, mentisq; noſtræ captum exceden- tis, falſam cognitionem ſibi velle arrogare. Quis enim unquam Venenorum internam Naturam nobis explicare potuit? introducunt hìc alii Arſenicalem, Mercurialem, Sulphuris immaturi & ſimilem naturam; verum cum & horum ipſorum interna indoles incognita ſit, dubium per aequè dubium explicatur. Ab Atomorum verò certa dis-

locatione, figura & concursu hæc dependere qui asserunt, nã illi mare difficultatum & dubiorum intricatissimorum nobis objiciunt, quod dum ipsi nondum transfretarunt, præstat in portu imperfectæ nostræ cognitionis subsistere. Cur enim hoc antidotum illi Veneno opponatur, & Æruginem Corallia, Gypsum Muris stercus, Chamæleam Origanum, Nucem Vomicam citri cortex, Elleborum Nympheæ flos oppugnent vix ullus enodabit: sufficit Experientiâ ministrâ ad eam nos devenisse cognitionem. Quod si verò quis sollicitus sit, an. nim. Alexipharmaca contrarietate quâdam internâ veneno resistant? an robur addant Naturæ idipsum expellenti? *Ei utrumq; locum habere posse, respondemus: pluribus de hoc acturi Aph. de Viper. Ad occultas quoq; proprietates refert* Silvat. p. 269. *quod animi morbos sanet, prudentiam & Ingenii acumen faciat, vitæq; nostræ tempus producat: Verum cum ea per accidens potius, inducantur, profligatis sc. mæroris & Melancholiæ causis, roboreq; partium principalium addito, non immeritò ad tertiam classem referri possunt.*

XXX.

Restat inter Causas FINIS, qui vel est Generalis, vel Specialis. Ille suggerit nobis præconium ipsius Iehovæ, cujus Omnipotentiæ, Sapientiæ & Misericordiæ rivuli ex hac ipsa compositione promanant.

Innuit hoc ipsum Ethnicus ille Andromachus S. *qui spondet, Imperatorem suum sanctis oblationibus supplicem Veneraturum Pæana propter hanc salutarem Medicinam. Quidni ergò nostri erit officii victimas labiorum & cordis nostri devoti Jehovæ, Creatori Medicinæ immolare, pro benigna*

nigna hac Antidoto deprædicante ipſius 1. Omnipotentiam ad abigenda quævis venena & mala ſufficientem 2. Sapientiam, in creandis efformandisq; tot ſimplicibus alexipharmacis. 3. Miſericordiam, in revelandis hiſce abſtruſioribus, & benedictis eorundem, neceſſitate efflagitante uſibus. Hinc laus tua, ô Deus, ſemper in ore noſtro. Tibi ſit gloria in ſempiterna ſæcula!

XXXI.

SPECIALIS vel eſt Primarius, vel Secundarius: Ille eſt ut inſerviat ſaluti generis humani, ſanitatem præſentem conſervando, abſentemq; reſtituendo: unde Prophylacticus & Therapeuticus ejus provenit uſus.

XXXII.

PROPHYLACTICVS eſt, quando ejus uſu corpus noſtrum ita diſponitur, ut à nulla re noxia corruptionem pati poſſit.

Negare conantur nonnulli hanc Theriacæ virtutem, & tum demum proficuam & utilem ſtatuunt eandem, ubi Venenum corpus noſtrum afficit, cùm Veneno reſiſtendo & in id ipſum agendo tantum dicata ſit. Verùm longè aliter ſeſe rem habere & rationibus & Exemplis in uſu ſpeciali Theriacæ demonſtrabimus.

XXXIII.

THERAPEVTICVS eſt, vel Principalis vel Minus Principalis; Ille, quando

Vene-

Veneno vel assumto vel externè corpus nostrum lædenti, variaq; symtomata inducenti opponitur: Hic verò, dum etiam aliis sive Internis s. etiam Externis malis & symtomatibus eâ medemur.


Ex Aphor. 3. insignes Theriacæ utilitates colliguntur, quas tamen pluribus proponet specialioris ejus tractatio.

XXXIV.

SECUNDARIUS est, ut etiam brutis animantibus s. Veneno s. alio accidente affectis opem ferat.

Corpus humanum cum sit Medicinæ unicum subjectum, ejus quoq; curatio tantùm à Medico suscipitur, Per accidens tamen, auxilia homini conferentia, non sine fructu quoq; Bestiis, nostris usibus inservientibus, exhibentur. Generosa hæc Antidotus ob insignes virtutes homini tantùm sacra esse debebat; hinc & pro animalibus brutis Theriaca diatessaron & similia parata sunt. His tamen nil proficientibus ad Theriacam Andromachi confugiunt, & salutarem inde effectum consequuntur. Non tamen eam usurpationem Abusum nominarim, cum & illa animalia & necessitati & commodo & prosperitati nostræ sæpissimè inserviant, imò plus interdum, quàm vel maleferiati homines, qui Lupinam Leoninamq; non rarò induentes naturam, ab hac Antidoto meritò arcendi essent.





SECTIO SECVNDA,
de
Singulis in ſpecie ingredientibus,
in ſex claſſes diſtributis.

CLASSIS PRIMA.
De
TROCHISCIS SCILLITICIS.
CAPVT PRIMVM

DE SCILLA.

Aphor. I.

CAuſis in genere expeditis, viſisq; iis, quæ ad generalem Theriacæ conſiderationem faciunt, ſpecialis conſideratio Materiæ, ſeu ſingulorum ingredientium examinanda venit.

Infelix non ſine causâ is cenſendus Medicus, qui dùm ad profligandos morbos quotidianis uſibus Theriacam deſtinat, quid tamen ea ſit, ex quibus conſtet, & quam ſingula ingredientia indolem obtineant, ignorat. Infelicior verò is eſt, qui eandem componere, & tantum Alexiterium extruere ſatagit, poſtpoſitâ ipſius materiei accuratâ exploratione, & ſedulâ inveſtigatione. Cùm enim exotica plurima ſint, eaq; ſæpiùs adulterentur, ita, ut teſte Marant. lib. I. c. 15. *etiam ij ſæpè numero decipiantur, qui hâc in parte exercitatiſſimi ſunt; neceſſum ſanè erit & oculis, &*

 linguâ

linguâ & naso perlustrando, gustando, olfaciendo omnia rectè perscrutari, ne dum ipsam Theriacam intendimus, aliud, & quidem vilius quid inde emergat. Hâc de causa & Gal. ipse l. ad Pison. c. 12. consulit, ne quisquam hujus Antidoti aggrediatur compositionem, antequam singulas medicinas (eò requisitas) diligenter exploratas in promptu habuerit, siquidem unius alicujus improbitas sæpè reliqua omnia corrumpit.

VI.

Materiam specialem ad sex classes cum Andromacho referendam censeo, nil nisi doseos proportionem respiciendo.

Antiqua licet non rarò optima, nonnullis tamen Neotericis rarò accepta, quibus nec ingredientium divisio ab Andromacho notata arridet. Verùm decus & τὸ πρέπον ipsius formulæ exigit, ut à summâ dosi ad minimas progrediamur. Notavit id Senior noster, & habitâ ponderis ratione sextuplam proportionem retinere voluit, ita ut primæ classis ingrediens esset Unciarum sex, secundæ quodlibet Unciarum trium, tertiæ quodlibet sesqui-Unciæ, quartæ drachm. sex, quintæ Unciæ dimid. sextæ quodlibet drachmarum duarum: peccant huic decoro, quicunq; in consignatione formularum medicamentorum à drachmis incipiendo in eodem seu radicum seu aliorum genere, mox Uncias, mox iterum drachmas, mox libras, mox scrupulos absq; urgente necessitate formulæ inserunt, sæpißimè id, quicquid in buccam venit, evomentes.

III.

Ad PRIMAM classem referuntur TROCHISCI

CHISCI SCILLITICI ex Scilla præparatâ cum farina Orobi aut Radicibus Fraxinell. compositi, ut primariò contra venena pugnent, secundario calefaciendi, attenuandi & abstergendi sua facultate inserviant.

Cur Trochiscorum, qui & Rotulæ, pastilli & orbiculi Latinis dicuntur, efformatio à Naturæ-Consultis excogitata sit, non sunt nullæ rationes. Nec sine causâ ab Andromacho iidem & hic locum merentur, & tàm scillitici, quàm viperini & Hedychroi excogitati: aliàs enim Virtus balsamica quorundam simplicium exhalando faciliùs periret. 2. Scilla & Viperæ distinctis temporibus colligendæ & præparandæ efficaciam suam amitterent; illa enim tempore autumnali effodienda, hæ vernali capiendæ. 3. Ut dùm vivæ apud alios etiam longè dissitos non capiuntur viperæ, caro tamen illarum per Trochiscos commodè deferri posset. 4. Ut dùm Hedychroi aliis quoq; deputati sint usibus, meliùs asserventur. Valeat itaq; sententia Pansæ *qui* tr. de 4. Antidot. p. 36. *supervacaneum censet & inutile, ut Trochisci efformentur, cùm species præparatæ sufficere possint.*

IV.

Tria hìc inprimis expendenda 1. Bina ingredientia, Scilla & Orobus seu succedaneum ejus. 2. Compositionis modus. 3. Vsus.

V.

SCILLA est herba bulbosa, folia alöes similia emittens, caulem sesquipedalem & flores in summitate purpureos, eximiamq; radicem bulbosam obtinens.

Inter alias bulbosas prima meritò deferuntur Scillæ & propter insignem magnitudinem, quâ reliquas omnes superat, & ob nunquam satis laudatam Virtutem, quam fovet. Germ. dicitur Meerzwibell *q. Capa marina, cùm ab aliis ad ceparum genera referatur & ratione interna externaq; formæ non multum inter se differant, ut disserit* Tidic. tr. de Theriac. *pag: 162. &c. Differentiam nonnulli inter Scillam per i. & Scyllam per v. constituunt, & per Scyllam marinum testaceum piscem designant, ut refert* Lobelius in advers. p. 57. *vid.* Plin. l. 33. Natur. hist. c. 11. *verùm alii id haud ita strictè attendunt; nam & ipse* Theophrastus *modò per i. modò per v. Scillam herbam notat, ut videre est* lib. 1. Hist. plant. c. 7. 10. 16. lib. 1. de causis plant. c. 4. 7. & lib. 7. hist. Plant. c. 4. 12. & alibi. *Varroni Squilla nominatur, quod nomen & Officinæ retinuerunt. Vide* Carol. Clus. l. 2. rarior. plant. Hist. c. 21.

VI.

Hujus tùm Locus natalis, tùm qualitates ut & præparatio genuina perlustranda.

VII.

Locum natalem agnoscit inprimis Hispaniam & Lusitaniam; his enim in locis crescens optima censetur, & inde ad alias remotiores defertur oras.

In Apuliâ quoq; & Siciliâ colligitur. Tripoli in tantâ copiâ Scillas provenire scribit Tabernæmont. l. 2. Herb. c. 11. *ut erutæ agmina insignia constituant. Inter alias verò causas, quibus nonnulli ad oppugnandam Theriacam extra Italiam præparatam, utuntur, Scilla quoq; collocæ-*

locatur, cùm ea alibi locorum non recens, quod Gal. desiderat, è Terra visceribus deprompta, adhiberi poßit. Deinde, quòd, cùm messis tempore excrescente jam Scapo colligenda sit, simul & solitaria secundum Mesuen rejicienda, tanquam minùs apta, non alibi, quàm ubi locorum ea crescit, id observari poßit. Verum enim vero, cum radix hæc adeò recens ad Nos deferatur, ut etiam Terra implantata, non tantùm in vigore suo detineri, sed etiam germinare poßit; adhæc tempus primæ effossionis in Hispaniâ notetur, ut & si hîc vicißim effodienda sit, meßis tempore id fiat, tandemq; ex illis, quæ non solitaria fuit ad Nos deferri debeat; utiq; non video, cur non ejusdem dici poßit Virtutis ea, quæ ad Nos, ac ea, quæ ad Italos portatur, cùm & illi Hispanicâ gaudere malint, & adversæ rationes allatæ eosdem quoq; feriant. Adhac cùm succulenta est, non facilè ad aliquot menses de viribus suis quid amittit, nam, Theophrasto lib. I. de caus. Plant. c. 4. *teste, eadem suspensa germen emittit, aggregatum enim in se humorem multum habet. Accedit, quòd nonnulli transplantationem Scillæ locum invenire censeant, dùm venenosa ejus qualitas hâc ratione eximatur, remanente eo, quod Alexiterium est, & quasi repagulis aliis semotis, sic exaltetur. Autor est* Quercet. *qui in* Pharm. dogmat. p. 542. *suadet, ut Scillæ è maritimis locis ad nos delatæ in hortos transferantur, terræq; bonæ & excultæ committantur, & per tempus aliquòd sedulâ adhibita culturâ & industria ibidem permittantur, donec vim venenatam omnem deposuerint. Ab hujus mente non dissentit* Horstius lib. I. Epist. medicin. p. 408. *vid. &* Doring. tract. de Opio. c. 5.

IIX.

Qualitates Ejus aliæ sunt manifestæ, aliæ

 occul-

occultæ. Ratione illarum Scilla calida censetur in secundo gradu, quæ & ob acrem illam à Sale proprio possidentem facultatem insigni pollet vi crassos & lentos humores attenuandi & incidendi, obstructa aperiendi, cruda concoquendi: Hinc & in affectibus capitis frigidioribus, ut & pectoris, Splenis & Uteri apprimè utilis.

Dioscor. l. 2. de mater. med. c. 156. *acrem & ferventem ei adsignat vim, & quod in Hydropicis, Stomachicis, Ictericis, Tussientibus, Anhelosis & sanguinem rejicientibus prosit.* Gal. 2. de simp. med. fac. *admodùm incidentem ei inesse dicit potestatem, non admodùm tamen calidã, sed tantùm secundi ordinis, cui & cum* Aetio tetr. 1. s. 1. *alii quoq; subscribunt; nam non tàm à calore, ut vulgò statuitur, acrimonia & insignis urendi proprietas, quàm à proprio sibi assignato salino principio, eâ accredine prædito, ut in Aro & similibus animadvertimus, dependet. Id non animadvertens* Mesues l. 2. de simpl. med. purg. c. 5. *calidam & siccam in tertio gradu Scillam collocat, & substantiam insuper dicit habere superficiariam, igneam, acrem admodum ac terream, adustione amaram, aeream deniq; mediocrem eamq; dulcem; Ubi & pluribus de Scilla virtutibus, capitis affectus, nervorum, juncturarum, pulmonum & Thoracis, nec non splenis obstructiones & morbos respicientibus, putredinem in corpore prohibentibus, sanitatem conservantibus, juvenile corpus in vigore diu detinentibus &c. agit. Vid. &* Plin. l. c. Gal. 11. m. m. 11.

IX.

Occulta proprietas potissimùm in alexiphar-

phar-

pharmaca Virtute, quâ venenis & venenatis nonnullis effectibus succurrit, consistit.

Commorsis à Viperâ in Cataplasmate cum aceto co-ctam mederi vult Dioscor. l. c. Plin. *etiam Canum mor-sibus applicat.* Utrùm verò specificâ quâdam qualita-te, an elementari Epilepsiam profliget, non sine cau-sa dubitatur; *nam in hoc affectu Scilla usum eximium esse Practici plurimi testantur, ut videre est apud* Frambessar. Consult. medicin. p. 103. 108. Plater. tr. 1. pr. p. 86. *& alibi.* Sennert. lib. 1. pract. p. 617. *& alios. Ut ut verò calore & incidendi facultate non parum in pituitosâ constitutione auxilii praestet, nihilominus & quid specifici contra auram illam malignam obtinere, cùm insignis in eâ adsit Signatura Capitis & cerebri, non negarem. Occulto quoq; modo seminario pestilentiali opponi ex usu caparum colligere est, de quo pluribus agit* Tidic. tr. de Ther. p. 162. *At haut veritati consonum censemus, quod* Theophr. lib. 7. de Hist. plant. 12. *refert, quòd ante portas sata re-medium sit contra veneficiorum noxam; ut &, quòd sec. Dioscor. ex Pythagora sententia, si tota prae foribus aut in limine januae suspendatur contra veneficia auxilietur. Cau-sam enim hic nullam subesse hujus effectûs quisq; videt, nî fortè attractricem quandam facultatem auram venenatam ad se allicientem quis concedat. Haud dissimile quid Nostra-tes Mulierculae de Hyperico, Artemisia & aliis circa festum D. Johannis collectis occinunt, unde & Valvis aedium eas contra veneficia, imò ipsum Sathanam, affigunt; at quo successu, eventus ipse docet.*

X.

Praeparatio exigit debitam selectionem & genuinam Coctionem.

Varia-

Varia etiam extra usum Theriacalem ex Scilla parantur medicamenta, utpote Oxymel scilliticum, Acetum Scilliticum & alia, de quibus videantur Dispensatoria & Practici, inprimis verò de aceto Scillit. ejusq; usu agit Gal. l. de faciliè parabil. p. 248. *cujus verba in* Dispensat. August. p. 225. *repetuntur: peculiaris quoq; tractatus de Aceto scill.* Jani Matth. Duraitant. *consulatur. Nos his sepositis, quî ad confectionem Theriacæ concurrat, dispiciemus.*

XI.

Seligenda est vera Scilla, alba, matura, recens, non nimis inveterata, tempore Messis collecta, quæq; ut volunt, non solitaria, sed aliis sociata fuit.

Genuina cùm haberi possit, quid opus est, ut ad Pancratium, quod aliqui Scillam vocitant, & in defectu illius cum Gal. 8. de simpl. med. fac. c. de Pancr. *substituunt, deveniamus? superiori seculo id factitatum esse ex* Matth. in lib. 2. Dioscorid. c. 168. in sch. *constat. Convenit sanè utraq; Planta inter se tùm quoad magnitudinem, cùm nonnunq; Pancratium ferè caput hominis adæquet, tùm quoad germinationem, quod hoc caulem floresq; priùs gignat, quàm folia, æquè ac Scilla, referente* Theophrasto l. 7. c. 12. *differunt tamen, quòd Scilla testimonio Dioscoridis & Plin. aloes folium simile obtineat, Pancratii folia verò ad liliorum formam accedant: deinde quòd illa, iisdem attestantibus, ter in anno floreat, hoc verò non; tertiò, quòd illa amaritudine, acrimoniâ & virium præstantiâ, quod & Gal. loco allegato voluit Pancratium vincat: Sed & alba, imò albissima Plin: expetitur, non quæ per coctionem talis evasit, sed naturâ suâ ita conspicitur, cum & ru-*

bra

bra detur, quæ tamen ob ferventis caliditatis excessum (quantò n. quid magis ad albedinem accedit, tantò à caliditate id secedere voluit Gal. 4. de simpl. med. facult. c. 27.) *majoremq; amaritudinem seponitur.* Qui verò recens usurpari possit iis in locis, ad quæ post aliquot demùm menses per Mare transfertur, non sine causâ quæritur? *Dicendum fortè, recentem tàm diu esse, quamdiu suo adhuc succo impregnata conspicitur; cùm enim balsamicæ sit Virtutis, & multo Sale amaro abundet, haud ita facilè vim suam amittet, sed diutiùs ea asservabitur. Nec dißimile quid in cepis, ex Hollandiâ ad nos delatis, observamus, quæ etiam post aliquot menses Terræ commißæ, imò & in libero aer suspensæ germinant. Cur solitaria postponatur, vix rationem video (Mesue venenatam hanc proclamat, suadetq; Marant. ut majoris securitatis gratiâ hanc admonitionem de rejiciendâ solitariâ non negligamus) fortè quòd ob aliarum consortium, ignea illa vis in singulis dispersa minor sit, in solitariâ verò abundet.*

XII.

Coctio Scillæ sequenti modo peragitur: Scilla prædicto modo selecta, tunicis externis aridioribus selectis, pastæ panis fermentati, (non luto, nedum sævo, tùm propter sorditiem, tùm etiam ne Scilla in coctione malignitatem contrahat & rancida putrediniq; obnoxia evadat, monente *Gal. 2. de Ther. ad Pison. c. 13.*) involvitur, & cum pane perfectè coquitur: è furno exempta sigillatim omnes tunicæ detrahuntur funiculoq; trajiciuntur, inq; loco calido in

umbrâ, quo radii Solares non pertingunt, exſiccantur. Cor medium, unde germen enaſci ſolet, abjicitur, demùm contunduntur omnia & in pulverem rediguntur.

Modum hunc depingit Pontanus in conſil. VVitich. p. 602. *quem deſumſit ex* Gal. I. de Antidot. c. 9. *&* de Theriaca ad Piſ. *Veſtigiaq; hæc lequnt* Auguſtani *in Diſpenſat.* Marant. *& alii. Tria hìc inſuper diſpicienda.* I. Utrùm extractio, quam habet Quercetanus Pharm. dogmat. p. 515. Galenicæ præparationi præferenda ſit? *Ille enim acetum roſaceum Scillæ ſuperaffundit, quò per fermentationem omne deponat venenum, deinde addit lac vaccinum recens mulctum, ſinitq; in B. omnia ebullire, donec liquefacta ſint, quæ per linteum colat, colaturam ad lentum ignem cinerum ſinit evaporare ad Extracti ſicci formam. Qui modus & Panſæ arridet* tract. de 4. Antid. p. 37. *Verum enim verò nullum hìc deſiderabatur extractum, ſed corpus ipſum in pulverem redactum, nec n. ubivis locorum Extracta valent, cùm plus emolumenti interdum ab ipsâ ſubſtantiâ expectetur. Adhæc cur aceto infringere conatur vim venenatam, cùm nulla venenoſa qualitas verè ſic dicta Scillæ inſit, ſed amaro Sale nimiùm abundante potiùs peccet, qui tamen nec aceto corrigendus, nec lacte mitigandus, cum maximam Theriacæ adferat utilitatem. Qui tamen, ſi aceto Scylla paretur, vis ipſius medicamenti exacuetur, docet Plinius. Deinde monet* Quercet. l. c. p. 185. & 461. *ut Cor ſeu media Scillæ pars aſſervetur: quòd ſi verò per Cor intelligit internum illud, unde Germen enaſci ſolet, vix ei ſubſcribimus, cùm & exiguum hoc ipſum ſit & plurima Scilla præter neceſſitatem ad trochiſci unius*

vel

vel alterius confectionem exigantur, adhac majorem hac pars germinandi, quàm venenis resistendi vim obtineat. Si verò per Cor internam illam substantiam, quæ magis tenera est, & aliis teste Marant. p. 70. *medullam, alii Cor vocant, quæq; foliis tribus aut duobus externis circumdatur, innuit, cum Andromacho facere videtur. Tandem monent, ne ferreo, sed ligneo cultro Scilla incidatur, fortè quod à ferro facilè rubiginem quandā venenosam extrahere posit.*

CAPVT SECVNDVM.

De

ERVO & SVCCEDANEO EIVS.

Aphor. I.

JVngitur Scillæ in formandis trochiscis farina Ervi. Hic pensitanda veniunt 1. quid sit Ervum? 2. Cur Scillæ jungatur? 3. quodnam aptius censeatur succedaneum?

II.

Ervum est semen Fruticis Ervi in siliquis proveniens, calidum in primo & siccum secundo gradu, amaritie suâ crassos humores incidens, extergens & ab obstructione liberans, venenatisq; simul morsibus succurrens.

Ignorantiæ velo involutum ante hac tempora fuit; qualisnam frutex ervum esset; cùm n. variis nomen hoc assignetur Plantis, ut videre est in Pinac. Bauhin. l. 3. s. 3. p. 343. 344. 345. *non mirum, quòd alii pro Revinione s.*

Ervilia, alii pro Cicercula ut & Mocho venditârint, idipsum tamen ab his differre pluribus docet Silvatic. l. 1. de Theriac. composit. p. 43, *qui & cum Maranta censet, verum Ervum notis â Dioscorid. Theophr. & aliis descriptis probè respondens Ferraria & Mantuæ provenire & inde haberi posse. Dicitur & Orobus, παρὰ τὸ ἐρέπτεσθαι ὑπὸ τῶν βοῶν, quod Boves eo vescantur & saginentur. Frutex est, referente* Dioscorid. l. 2. c. 131. *exiguus, foliis angustis, floribus in candido cæruleis aut puniceis* (teste Fuchsio hist. plant. c. 218.) *in siliquis parva gerens semina instar pisorum se invicem tangentia. De orobo Pannonico consule* Clusium l. 6. rarior. plant. c. 44. *Qui illud ipsum antequam in farinam redigitur parandum sit, tradit* Dioscorides l. 2. de mat. med. c. 102. & ex eo Tidic. p. 166. *de quantitate ejus ad efformationem trochiscorum necessaria pluribus differit* Silvatic. p. 46. & 48.

III.

Miscetur Scillæ, ut hujus facultas medicamentosa, quâ & Venenis resistit, simul & incidendi & attenuandi vi pollet, simili augeatur adhæc quod volatile in Scilla est, Ervi crassitie figatur.

Ut Scillæ ita & totius Theriacæ virtutem adauget Ervi farina. Non ergò absq; consilio & ratione ab Andromacho ea introducta fuit, multominùs ut noceret, quod Pansa l. c. ei imponere voluit, qui farinam hanc removendam censet, cùm crassioris sit substantiæ, & venæ inde obstructionem patiantur, vis Theriacalis impediatur crassiorq; & minùs efficax reddatur. Verum enim verò licet ipse Dioscorid. l. c. Ervum capiti onerosum esse, alvum esu turba-

re.

re; sanguinem per urinam ciere dicat. Gal. I. de alim. facul. 29. *Boves ervo priùs in aquâ dulcorato pasci, & hominibus haud convenire statuat, tamen de crudo & quatenus pro alimento in usum trahitur seorsimq; usurpatur, uterq; loquitur: Ubi verò cortex terrestris tostione artificiali removetur, & molita farinario cribro depuratur, aliis terrestreitatem vincentibus permiscetur, nec pro alimento, sed medicamento expetitur, ibi sanè, cur non usurpari possit rationes haud prægnantes video, inprimis cùm venenatis morsibus medeatur, & facultatibus suis Scillæ non adversetur. Quid? quòd igneitas Scillæ, quæ in Sale volatili residet, & facilè exhalare posset, terrestreitate Orobi adhuc dùm remanente, quasi sistatur & diutiùs conservetur. Hinc &* Rondeletius *Scillam amarore Ervi â putredine conservari censuit.*

IV.

Succedaneum ejus malè alii medullam panis candidi, vel etiam Ciceres rubeos, veriùs vel Fraxinellam vel Lupinos substituimus.

Silvatic. *quidem* p. 46, *haud opus esse asserit, ut de alterius substitutione solliciti simus, cùm verùm Ervum in Italia haberi possit, cùm verò non ubivis locorum idipsum reperiatur, nec ad nos in tanta copiâ deferatur, meritò de genuino ejus succedaneo cogitare poterimus.* Dessenius *referente* Tidicæo p. 166. *ex consilio Damocratis medullam panis candidissimi seligit.* Rondelet. tr. de Theriac. *scribit Pharmacopæos solitos fuisse assum panem assumere, quasi verò solam mistionem Andromachus tantùm respexerit, non verò qualitatem Scillæ respondentem & Theriacæ inservientem. Ciceres rubeos seligunt nonnulli cum No-*

 rin-

rinbergensibus, at minùs concinnè, cum facultates inter se haud parum differant. Hi enim in primo gradu sunt cal. & sicci Ervum siccum in 2. Hoc veneno adversatur, illi minimè; hoc insigni præditum est amaritudine, illi, ut exiguum possident amarorem. ita & reliquas infirmiores qualitates. Augustani imitantes Gesnerum radicem Fraxinellæ, quæ & Pseudo-dictamnus, Polemonium &c. Germ. Aeschwurtz *dicitur pro succedaneo assumunt, nec malè. Fraxinella enim calida & sicca est in secundo gradu, insignem obtinet amaritudinem adversus venenatos morsus & pocula infecta valet, in peste adversus contagium, docente* Dodonæo in Hist. stirp. *usurpatur, Epilepsiam profligat, vermes necat. Ventriculoq; conducit, ut pluribus ejus virtutes delineat* Tabernæmont. l. 2. p. 455. *Hinc facilè quivis magnam hujus cum Scilla & Ervo convenientiam colligere valet. Eâ de causâ & in Officina nostra Pantzeriana hactenus loco orobi farinam Fraxinellæ Medici substituerunt. Ut ut verò radix semini non respondeat, tamen magis hìc interna forma attendenda. Huic Succedaneo æquivalent, si non superant, Lupini hortenses (sylvestres enim, cùm calidiores & magis amari, ab Ervi similitudine magis recedunt) qui Germ. dicuntur* Feig- oder Wickbohnen / *nam in caliditatis & siccitatis gradu cum Orobo conveniunt. amarum sapiunt, venenis resistunt, & venenatas herbas propè ipsos collocatas exarescere faciunt, teste* Matthiol. *putredinemq; cohibent, sicq; non parum utilitatis Scillæ conferunt, & in Orobi locum commodè substitui possunt.*

V.

Compositio Trochiscorum scillit. sic peragitur: Scilla & Succedaneum in pulverem redacta

dacta invicem miscentur, & cum tantillo Vini summâ diligentiâ & ex arte tenelli & subtiles inde Trochisci efformantur.

Avicenna, Hal. & Serap. præcipiunt, ut digiti Ministri efformantis pastillos hosce oleo rosaceo inuncti sint, cum farina suâ naturæ aspera haud dextrè seligi & facilè digitis adhærere possit. Quod verò Silvatic. c. 4. *ut & ille vinum admiscet, id exigui esse momenti censeo; licet enim Andromach. & Gal. Vini non meminerint, nec alii rationem admiscendi Vini exhibuerint, tamen illud consultò fecerunt, cùm omnibus notum sit, farinas sine liquore in Trochiscos abire non posse, & quemadmodum ad totam mistionem Vinum expetitur, ita & hîc. Rationem suggerit ipsa necessitas, ut & vis à Vino expectanda.* Utrum verò Scillitici ante Viperinos sint conficiendi, *disputant inter se* Marant. l. I. c. 10. & Silvat. p. 34. *qui consulantur.*

VI.

Usus restat, qui primarius est, ut Trochisci hi contra venena venenatosq; morbos pugnent; secundarius, ut excalefaciendi, attenuandi & abstergendi virtute causis morbisq; contrariis adversentur.

Cùm Theriaca primariò huic scopo inserviat, ut alexipharmacâ suâ potestate venena domet, venenatisq; affectibus opponatur, talia quoq; ingredientia ei fuerunt addita quæ hac facultate essent prædita, inter quæ haud postremum sibi hi Trochisci post Viperinos vendicant locum, ut ex supradictis censetur.

CLAS-

CLASSIS SECUNDA.

De TROCHISCIS VIPERINIS, HEDYCHROI, PIPERE LONGO ET OPIO THEBAICO.

CAPUT PRIMUM.

De TROCHISCIS VIPERINIS.

Aphor. I.

SEcundæ classis ingredientia sunt quatuor: duo composita & totidem simplicia. Illa sunt Trochisci viperini & Hedychroi; hæc piper longum & Opium Thebaicum.

II.

TROCHISCI VIPERINI constant ex carne viperinâ præparata, pane probè cocto & jusculo carnis viperinæ.

Trochisci hi Gal. Aetio & aliis Theriacales quoq; dicuntur, nonnullis Thiri seu Ferales, ut & Orbiculi ex viperis. Hos ipsos veneranda Antiquitas multis retro sæculis in hæc usq; tempora primarium constituerunt ingrediens & Basin Theriacalis compositionis, cùm eximios & adversus venena & alia mala exhibeat effectus. Ineptè verò Schillerus in Epist. medicin. Scholtz. 92. *illos omitti posse putat, quasi nihilominus suam Theriaca retineret efficaciam; nam & is ipse parum sibi constans, Antidotum hanc adversus viperarum morsus viperarum additione pugnare, paulo post subjungit.*

Duo

III.

Duo hic inprimis expedienda 1. in genere Natura & Qualitates viperarum; Deinde in specie earundem captura, præparatio, Trochiscorum efformatio, horumq; usus.

IV.

Vipera est animal serpens venenatum, longitudine utplurimùm cubitali, capite presso, stricto, collo angusto, crassitudine baculi, in cujus dorso catena multis variegata coloribus conspicitur. Oculi truces, subrubri, fæmella quatuor, mas binos possidens dentes: Virtutem & Venenatam simul & Alexipharmacam & Balsamicam intra se fovens eximiam.

Sunt qui Viperas dictas putarunt, quòd vi pariant, & in partu earum viscera rumpantur & dilacerentur, quod tamen à Veritate alienum observavit Amatus Lusitanus, qui Cent. I. obs. I. *testatur, gravidam Viperam à se in pyxide asservatam, postmodum partus suos vivam atq; integram absq; omni noxa exclusisse illæsamq; permansisse.* Scaliger exerc. 201. *se vidisse refert viperas enatas in ligneâ quadam Circulatoris theca, parente salva. Monet insuper* Amat. l. c. *Arist. locum* 5. de generat. animal. c. ult. *malè à Plinio intellectum, nec n. illum hoc innuisse, quod catuli interna viscera partûs tempore rumpant, sed, quod tantùm membranulas, quibus involvuntur; aut, ut habet* Matthiol. in Diosc. *quòd qui tardiùs eduntur catuli (tardiùs autem ideò excluduntur, quod vipera singulos singulis diebus pariat) membranulam quandam, quâ in Utero Ma-*

tris obvolvuntur, abrodant, ut citiùs in lucem prodeant. Rectiùs alii viperam, q. viviparam nominatam existimant, quod inter omnia serpentum genera sola vivos pariat catulos, unde & Nicander:

Sola etenim vivo gravidatur vipera fœtu,
Mortua cum reliquum passim genus ova reponat,
Squammigerosq; greges per inhospita tesqua propaget.

Vid. Zacut. Lusit. l. 5. Princip. Med. hist. 1. Comm. & Cælium. Rhodig. l. 6. antiquar. lect. c. 13. 16. & l. 23. c. 26. *Græcis mas. dicitur* ἔχις, *fœmina* ἐχίδνα, *Germ.* Brandtschlangen / Ottern.

V.

Qualitates ejus sunt aliæ manifestæ, aliæ occultæ: Illæ consistunt in frigiditatis & siccitatis gradu: hæ verò in Venenosâ, Alexipharmica & Balsamicâ facultate.

Temperamentum aliorum serpentum, ita & Viperarum dubios reddidit Natura Consultos: hinc alii caliditatem, alii frigiditatem iis assignant, omnes tamen ad unum in siccitate conveniunt. Cum Avicenn. Rhas. *& aliis* Aet. tetrab. 1. sem. 2. c. 170. Paulus Ægineta l. 7. §. de viper. *Viperas calidas esse affirmàrunt, moti hisce, quòd carnes digerendi facultate polleant, oleumq; illarum, teste* Gal. 2. de loc. affect. c. ult. *maximè resolvat, quòd insignem vividitatem, agilitatem & ferociam præ se ferant, quòd symptomata nonnulla caliditatem quandam arguant. Hisce subscribit* Zacut. l. 2. Hist. Med. princ. p. 660. *Verùm* Grevin. Claromont. l. 1. de Venen. p. 20. *pro frigiditate cum Gal. seqq. pugnat. 1. quòd serpentes, si manibus tractentur, etiam mediâ æstate, frigidiores eas reddant, idq;*

seipsum

ſeipſum in febri quadam ardenti percepiſſe ; cùm n. Serpentem oblatum manibus tractaret, inſtar glaciei frigidum quoddam ſenſit. 2. quia viperæ minus ſanguinis obtinent, quàm reliqua animalia, ab illius autem abundantiâ caliditatem denominari in confeſſo eſt. 3. quia cutis earum dura eſt & denſa, admodumq; ſolida, quò autem pellis alicuius animantis plus de laxitate & pororum anguſtia participat, eò plus etiam de calore. 4. quia voracia ſunt animalia, parum bibentia, appetentiam a. frigiditate ſtimulari experientiam docere notat. 5. quia ob imminutum calorem frigus perferre neſcientem per aliquot menſes hyeme latitant. 6. quia absq; cibo tanto temporis ſpacio in Terræ gremio, ſolo interno pabulo contenta vivunt, vult a. Gal. l. c. quòd animalia, quæ frigidioris ſunt Naturæ per hyemem ob frigoris vim, ac ſi mortua eſſent, latitare ſoleant : ſubſcribit hiſce Mercurial. lib. 2. de Venen. cap. 3. *Alii ex ſymptomatibus poſt morſum apparentibus frigiditatem colligunt.* Verum enim verò, ſi de naturali Viperarum temperamento, & quatenus ad hominem vel alia calidiora animantia referuntur ſermo nobis eſt, frigidiores eſſe ſuo modo Viperas nemo negabit ; præter naturam verò, ſi irritatæ bile perfunduntur, exhalationibusq; calidioribus inquinantur, â frigitate illâ remittunt : nam & fœmellæ aliàs frigidiores incitatæ facilè excandeſcunt flammamq; concipiunt. Deinde ſymptomata illa ſeu caliditatem ſeu frigiditatem arguentia, nullatenus à primis qualitatibus deducenda eſſe ſtatuo, cùm â Veneni Naturâ promanent. Quod verò Caro inprimis ſeparata ab aliis partibus maximâ reſolvendi vi polleat, id â Sale ſui generis & Bezoarticâ virtute ad ambitum corporis materiam internam promovente, proficiſci haud obſcurum eſt. Viſcoſo verò nutrimento, quo tot menſibus re-

creantur & sustentantur, abundant, in quod lenior, qui in illis est calor, mitiùs agit, donec Vere adventante vires sensim sensim recolliguntur.

VI.

Venenata Natura ex lethalibus, quæ ex morsu ejusdem proveniunt, affectibus, certissimè elucescit.

Quàm varia & dira Symptomata à Viperino morsu oboriantur, exempla notata monstrant. Amat. C. 1. c. 1. *puellam quandam læsam refert, quæ plurimas ac varias rubras ac lividas in parte læsâ percepit maculas, successit vomitus biliosus, tremor totius corporis, Vertigo, animi deliquium.* Paræus *idem in seipso expertum esse tradit* l. 20. Chirurg. c. 16. Grevin. *de Pharmacopolâ quodam refert, qui similiter læsus vix horâ elapsâ insignem partis vulneratæ intumescentiam cum vehementissimo dolore percepit, sex horis verò elapsis vomitus amaræ bilis, totius corporis refrigeratio & similia successêre. Nonnulla hìc paucis investiganda veniunt.* 1. An somnus profundus, Congelatio sanguinis circa cor, caloris naturalis mortificatio, sudor frigidus & similia symptomata morsum viperinum subsequentia, ut & quod vinum vehementiam veneni corrigat, frigiditatis principio adscribendum? *Neutiquam, sed veneni, totâ substantiâ peccantis, ea est indoles, ut & hæc & alia frigiditatẽ arguentia pro diversitate objecti producat symptomata. Quod verò vinum alexipharmacam obtineat naturam, nec quâ calidum veneno viperino opponatur, alibi evincetur.* 2. Quâ ratione æruginosa morsu affecti reddatur natura, & quidem illico, ut referunt Autores? *Exiguum sanè bilis vul-*

neri

neri infunditur, at id tanta est activitatis, ut non tantùm statim internecioni tradat animalia, quod Baldus Angelus *experimento comprobavit (cùm n. canibus & felibus fel viperinum objecisset, animantia hæc illicò interiêre, at â corde, Hepate & carnibus devoratis nil mali senserunt) sed & massam sanguineam fermentando ita disponat, ut ictericus illicò subsequatur color.* 3. An sitis vehementissima, quâ vulnerati excruciantur â siccitate veneni proveniat? *Id sanè plurimi affirmant, & exinde siccitatem Viperinarum carnium adstruunt, at rectiùs â veneni qualitate & naturâ deducitur, cùm tanta siccitas introduci nequeat, ut immoderata illa sitis inde proveniat. Mirum verò, quî vipera post morsum ipsæ excrucientur siti veneno aliis communicato, an quod divina vindicta hanc ei indiderit pœnam, quam pro malo homini inflicto ferre coguntur?* 4. Quâ in parte deleterium hocce delitescat? *Ut plurimum animalia venenata certis duntaxat in locis Venenum fovent, in cæteris verò ad varios usus prosunt, quod de Dracone marino spinam tantùm in dorso planè venenatam gestante, partibus cæteris cibum delicatiss. notũ est. Ita & Vipera certis tantùm in locis venenũ obtinet, inprimis in vesiculâ fellis, unde duobus meatibus ad gingivas tumentes seu dentium vesiculas idipsum derivatur, ibidemq; delitescens morsu partibus communicatur; quod & ob volatilitatem suam facilè caudæ & cutis extremis scil. partibus, quæ exinde venenatæ evadunt, deferri potest.*

VII.

Alexipharmaca Virtus in potioribus Viperæ partibus hospitatur, quæ felicem in expellendis malignitatibus & venenis, & ab iisdem præservandis spondet effectum.

Diversa imò contraria in uno eodemq́; Subjecto ratione diversarum partium & principiorum residere ex ſ.1. aph. 28. Gal. l. de ſimpl. med facult. c. 21. & 24. & l. 2. c. 13. l. 3. c. 14. & 15. l. 4. c. 37. Langio l. 2. epiſt. 33. Trincavell. epiſt. 24. *& aliunde manifeſtò liquet: Hinc & animalia venenum tantùm in aliquâ ſui corporis parte foventia, Balſamum ſimul, quo tutò contra venena uti licet, poßident. Scorpii ictum, Scorpius impoſitus ſanat: Oleum Scorpionis certißimum eſſe alexiterium contra Scorpionis ictum & alia maligna cum experientia loquitur* Paræus l. 20. Chir. 22. *vid &* Matth. l. 3. in Dioſcor. c. 11. Celſ. l. 6. c. 17. *Licet verò in veſiculâ fellis Viperæ quid deleterii contineant, reliquæ tamen ferè ſingulæ partes quid ſalutare. Cor viperarum ad Solem exſiccatum & pulveriſatum Veneno adverſari & ex corpore noſtro eliminare aſſerit* Noll. prodrom. Phyſ. p. 52. *Iecur earum coctum & aſſumtum immunes reddit â Serpentum ictu teſte* Cælio Rhodigin. l. 6. lect. antiq. c. 116. *Spina ut & pinguedo ab aliis in medicum uſum trahuntur. Ex cute exſiccata & ſ. a. pulveriſata elegans fit remedium in vulneribus â virulentis beſtiis inflictis, ut & cancroſis & malignis ulceribus. Quantum Virtutis carnibus viperinis inſit, infinita teſtatum faciunt exempla.* Gal. II l. 1. de ſimpl. medic. facultat. c. 2. & lib. de ſubfigur. Med. c. 12. *eas contra morbos malignos & ferè deſperatos utiles eſſe refert: Curatione diuturnarũ morborũ eaſdẽ inſervire tradit* Zacut. l. 1. princip. med. hiſt. p. 589. Aetius tetr. 4. ſ. 1. c. 123. *docet, quoſdam viperas totas extendere, exſiccare & poſtmodum terere, ac eas in potu contra morbum articularem exhibere: Increſcentes ſtrumas eſu viperarum reprimi ex* Dioſcor. l. 2. c. 16. *conſtat; Hinc* Falliopius de tumorib. p. n. c. 9. *ſic inquit:*

inquit : Sive carnes viperinas coctas edas, jus potes, aut eo strumosam partem laves, aut vinum assumas, in qua ipsæ fuerint extinctæ, vel Martios panes aut Pastas regales, adjectis pulli aut Caponis pectore, sacchare, amygdalis aut Zingibere permixtis, ultimum & efficacissimum pro strumis aliisq; cutaneis affectibus experieris auxilium. Vini viperini efficaciam in pellendis strumosis & gallicatis affectibus deprædicat Mercat. l.2. de morb. Gall. c. 8. *Veram autem esse antidotum contra elephantiasin Historia tùm à* Gal. l.c. *ut &* lib.2. ad Glauc. c.10. *tùm ab* Æginet. l. 4. de remed. c. 1. *ut & aliis allegatæ confirmant. Nec est, quòd hìc moremur Palmarii objectionem, quòd nec Ipse nec Fernel. à Viperis, quocunq; modo præparatis, Elephantiacos curatos viderint. Tot enim Historiis, curationibus, experientiis à Medicis notatis dicam scribere arrogantis impudentiæ & impudentis arrogantiæ signum esset, fortè enim vel insanabilis erat illa elephantiasis, vel non cõmoda Viperar: præparatio. Gallo cuidã leproso imperatum à Medico Gattinaria, ut comederet carnes viperinas, quod cũ factitasset, primitùs quidem accidentibus variis fuit obrutus, at mox diversis bubonibus per partes corporis obortis & ad saniem deventis, optimè curatus & restitutus fuit. Deniq; carnes venenis venenatisq; morbis resistere omnes Medici uno ore loquuntur.*

IIX.

Balsamicam Virtutem, balsamo nostro naturali maximè congruam, Viperis inesse & Natura illarum & effectus docent.

Duo sunt, quibus veritas hujus apher. fulcitur 1. *Natura Viperarum, cùm n. renovandi & restaurandi facultate polleant, & quotannis bis, Vere scil. & Autumno, antiquas*

quas suas deponant exuvias, rectè exinde colligimus, Æthe-rium quoddam Balsamum iis inesse, cujus Virtute id, quod pluribus animalibus denegatur, perficitur. Ineptè autem elementaribus qualitatibus aut certè earundem mistioni quis acceptam ferret tantam potestatem, tantam facultatem, multo minùs formæ alicui speciali, quæ alteri Subjecto communicari haud possit. 2. Effectus per experientiam confirmatus; Virtutem n. illam renovandi Balsamo naturali, inprimis Mumiæ inhærentem aliis imprimi posse viperarum esu & usu sequentia docent. Solenand. s. 1. consil. 25. *literis consignavit, implumes evadere pullos gallinaceos post usum continuum Decocti carnis Viperinæ, successu tamen temporis plumis rursus vestiri. Silesius quidam post usum pulveris Bezoardici animalis prophylaxeos gratiâ assumti, singulis postmodū Periodis vernalibus excoriationem quandam non sine pruritu totius Corporis sensit, nova illicò succedente cuticulâ, & viribus vegetioribus redditis, cujus & Clar.* Olhaf. in disquis. de Seminar. pest. c. 3. disquis. 2. *meminit: alius haud dissimile contigisse prodiderunt Medici. Hujus Balsami Virtute balsamum nostrum radicale exaltatur, roboratur, conservatur, fovetur, & ad expellendos morbos mirum quantum disponitur.* Dioscor. l. 2. c. 16. *corpus nostrum in vegetâ permanere constitutione, longævitatemq; usu viperarum succedere, meminit. Hinc cum Crateri antiqui Medici servo, caro tota ab ossibus abiret, & cætera remedia nil opis attulissent, periculo inventa vita fuit, cùm à Vipera mors quæreretur, ut ex Petro Victorio refert* Heurn. l. 2. meth. med. p. 89. *Clar.* Nicol. Olhaf. *Med. Gedan. Reip. ordin. in epist. quâdam ad me exaratâ prædictorum fidem facit; Magnam enim Florentiæ Ducissam, Aviam moderni Magni Ducis Florent. Ferdinand. II.*

in decrepitâ ætate vegetam adhuc & firmam esse, scribit, idq; adscribi, quod Capus, qui bolus ex pane similagineo & carnibus viperinis paratis vescebantur, ferè quotidiè nutritur. Viperas coctas & comestas ad visûs alacritatem, ad roborandos nervos debilitatos, ad inhibendam scrophularum generationem plurimùm conferre, testis est Dioscorides. Antonius Musa Cæsaris Augusti Med. cum incidisset in ulcera insanabilia, viperas edendas usurpavit, & mirâ celeritate ea persanavit. Imò hac ipsâ simul balsamicâ facultate roboratam Naturam ad expellendum virus Elephantiacorum insurgere, haud â veritate alienum est. Innuit id Vid. Vidius p. 2. medic. s. 2. l. 5. c. 8. *Viperam totâ suâ substantiâ efficere id, ut extima pars affecta, quasi serpentum senecta resolvatur & decidat. Quercetan. balsamicam hanc Virtutem expungere videtur in Pharm. dogmat., eo quod trochisci inde parati seipsos adversus putredinem haud defendere possint, parati enim quotidiè vertuntur, balsamoq; alio inunguntur. Verùm constantiam dictorum â Quercetano desidero; paulò ante enim Balsami Etherei radicalis in Viperis existentis potestate renovationem illam fieri statuerat. Verùm & aliis Mumiis, quibus similis vis balsamica non denegatur, idem contigit, ut aeri expositæ facilè putrescant. Brutorum carnes, ut nil de humanâ dicam, quibus quotidiè ad roborandum balsamum innatum fruimur, putredo, inprimis tempore calidiore, facilè corripit, nemo tamen balsamicam facultatem iis denegabit. Quid verò alii ex Dioscor. proferunt, quasi usu carnium viperinarum pediculi in cute procreentur, cui & Gal. non contradicit, dùm* 11. simpl. med. facult. c. 2. *certò iis accidere id asserit, quibus plurimum mali succi in corpore exsuperat, id sanè vix tanti est, ut dignitatem balsamicam Viperin. carn. infringere possit. Nam ut ex aliorum relatione id Dioscorid. allegat, ita propria censura ridiculum exclamat. Gal. a. facilè assentimur,*

 quod

quod scil. sanis id non eveniat, sed Cacochymiâ turgidis, unde alexipharmacâ Virtute vitiosi à centro ad circumferentiam propelluntur humores, qui in Cute subsistentes in dispositis vermiculos procreant. Nonnullis populis viperinæ carnes in quotidiano sunt usu, viperisq; ii, ùt nos anguilli, vescuntur; animalcula tamen ejusmodi pedestria apud illos conspici, nemo Autorum tradidit.

IX.

Hinc indubitatò inferimus: Viperas, non quatenus venenum aliquod intra se fovent, sed quatenus alexipharmacum seu balsamicum quid obtinent, ad Theriacæ confectionem adhiberi.

Quem ob finem Andrómachus Senior Viperinas Theriacali compositioni admiscuerit carnes, non una est omnium sententia. Sunt qui ob venenatam, quam possident, facultatem, ia factitatum autumant: Vel, ùt habet Marant. & Thom. Jord. de pest. phænom. *ob similitudinem quandam, dùm venenatæ carnes viperinæ alia venena assumpta s. inflicta analogiâ quâdam sympatheticâ desiderant & petunt, sicq; alexipharmaca carnibus permixta, manu q. ducunt ad alia expugnanda: vel ob contrarietatem, quâ venenum veneno adversatur. Ita* Plin. l.27. natur. hist. c.7. *asserit, hominem veneno infectum liberari, si aliud venenum sapiùs assumpserit, eâq; de câusa pulverem Serpentum, Doronicum, Vomicam & similia intra corpus propinari, ut venenum à veneno sibi contrario expugnetur: Ea est, inquit, Aconiti natura, ut hominem occidat, nisi inveniat, quod in homine perimat, cum eo solo conflictatur, velut pari intùs invento. Sola hæc pugna est, cùm venenum in visceribus reperit, mirumq;, exitialia ambo cum sint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo supersit. Vid.* Joubert. Decad. 2. paradox. 19. p. 145. *Verum enim verò nec tantillum*

tillum veneni carnibus viperinis per se inesse ex suprad. constat. Quod si quid deleteriæ qualitatis adhuc dùm retinerent, qùi Theriaca præser vationis gratiâ assumi posset, cùm nullum in corpore existeret venenum, quod vel similitudine vel contrarietate quadam ab eadem expugnari posset? nonne venenatum medicam. nostræ naturæ adversum esset? nonne venenum veneno additum augmentum caperet, negotiumq; Naturæ facesseret? Sed & Sales Theriacales, Trochiscosq; Viperinos per se in usum medicum venire, nemo inficias ibit, quæ si venenis essent stipata, ipsissimam mortem, neutiquam verò salutem, adferrent. Cl. Tidicæus tract. de Theriac. p. 126. *hanc fovet sententiam; Carnes scil. viperinas, tanquam Naturæ humanæ adversas, stimulum quendam Naturæ medicatrici addere, ut eo fortiùs adversus venenum receptum insurgat, ejusdemq; expulsioni studeat, imò, ut eò alacriùs & potentiùs alexipharmaca in actum deducat; mentemq; insuper suam explicat & declarat usu purgantium medicamentorum, quæ similiter stimuli quidam Naturæ sunt ad expellendum noxios humores. Sed & huic sententiæ non parum difficultatis subest. Primò n. si caro viperina Naturæ nostræ adversa est, duplici ea post ingestionem ejusdem obruitur malo, & à Toxico accepto & à carne viperinâ adversa. unde non potest non malum, quod imminui debebat, augeri. Deinde adversum illud vel in manifestis vel occultis residet qualitatibus, in illis non, quia nulla excedens in viperinis reperitur carnibus; hæ verò sunt & Bezoardica & Balsamica, naturæ nostræ maximè arridentes, & eidem contra Toxicum familiaritate quâdam succurrentes. Tandem in adversum illicò Natura neutiquam aget, cùm idipsum potiùs fastidiat: at viperinas carnes ita actuat, ut sibi easdem familiares reddat, inq; succum & sanguinem convertat. Similitudo illa cum catharticis nulla est, quâ ratione enim hæc operationem suam exerceant*

 alibi

alibi demonstratum. Concludo itaq; statuendo, quòd Alexipharmacum illud, quod carnes viperinæ possident, innatâ sibi proprietate venenum à corpore susceptum invadat, idipsum oppugnet, & , si viribus superius sit, simul expugnet. Balsamicum verò Naturam nostram juvet. roboret, confortet, quò contra venenum simul insurgat, sicq; vim Alexipharmaci exaltet, veneni verò infringat & imminuat: Eâ facultate specificâ omnia partibus morbo affectis dicata & μίασμα morbificum & Naturam nostrum respiciunt, illud debellando, hoc roborando.

X.

Captura Viperarum singulari in Italiâ peragitur artificio, fitq; inprimis ad Veris ferè finem, & non nisi fœmellæ reservantur, &, prægnantibus abjectis, illæ seliguntur, quæ ætatis sunt integræ & optimi vigoris.

Hìc dispiciendum: Primò; Cur Viperæ aliis Serpentum generibus in confectione Theriacæ fuerint prælatæ? *Rationes seqq. dantur, 1. quia illæ respectu aliorum serpentum minùs exitialem possident facultatem; in Dipsade enim Basilisco, Dryino (quem adeò venenatum proclamant, ut pedes eundem calcantium excoriet, & crura intumescere faciat) Hæmorrhoo, Marasso, Cenchride, intensius est venenum & perniciosius, testibus* Gal. de Theriac. ad Pison. c. 8. Marant. p. 8. Silvatic. p. 12. *2. quia quidam Serpentes toti venenati, nec tantillum laudabilis & medicati succi obtinent. 3. quia experientia magnam Viperis inesse vim alexipharmacam multis abhinc seculis edocuit. Secundò:* An non Colubri nostri substitui possent? *Non inefficaces & illi sunt in pellendo veneno, quod pulvis ille Bezoardicus animalis dictus satis superq; comprobat, nam & præservationis & curationis gratiâ tutissimè, at non sine fructu usur-*

usurpatur, ut inprimis videre est apud Conradum Medull. destillat. part. 2. tract. 27. Quercetan. Alexicac. l. 2. c. 5. Unizer. tr. de Pest. *Conveniunt insuper in eo cum Viperis, quòd suas quotannis quoq; deponunt exuvias. Nihilominus tamen cum Cl.* Horst. l. 4. epist. medic. s. 1. p. 402. *à viperarum usu non facilè discedendum dixerim, tàm quod Antidotus Theriacalis in Prussia confecta mox alia dicere-tur ab illa, quæ Venetiis & Patavii paratur, quàm quòd Andromachus & post ipsum alii prænominatis de causis viperam præ reliquis speciebus selegerint. Ipse quoq;* Quercet. Pharm. dogmat. p. 58. *asserit, minimum esse dubium, quin præstantioribus Viperæ polleant Virtutibus, quàm alii Serpentes. Eâq; de causa Veteres summo cum emolumento medicamentis ex Viperis paratis usi fuerunt, ùt ex* Theoph. Dioscorid. *& aliis patet. Videantur* Aetius tetr. 4. s. 1. c. 97. Dispens. August. p. 212. *ubi Sales Theriacales describuntur. Tertio;* Utrùm Viperæ in Prussiâ nostrâ reperiantur, & exinde trochisci formandi? *Certum est, hic locorum quoq; dari Viperas. Ante annos aliquot Experientissimus Casparus Pantzer Sen. p. m. in publicâ Theriacæ dispensatione binas omnibus astantibus conspiciendas exhibuit vivas hicq; captas. Et cùm Viperæ morsu lædant, non nisi à Viperâ & quidem famellâ Rustico ante triennium quatuor fuerunt inflicta vulnuscula. Nostrates tamen haut substituendás esse censerem, cùm maritima hæc sint loca, multo Sale vitriolato abundantia, unde major exsiccandi facultas, imò ipsius virulentiæ augmentum pertimescendum. Quartò;* Utrùm Veris initio captæ præferendæ? *Has nonnulli præferre malunt, verùm, quia tùm demum latebris relictis foras in apricum prodeunt, & sentum multis fuliginibus excrementitiis intra terræ gremium conceptis, refertum sit, potiùs Aere & consueto cibo eas aliquandiu recreandas esse statuo cum Hercule Bonacossio de Theriac.*

XI.

Præparatio primùm quædam præmittenda exigit, deinde ipsam coctionem subministrat.

XII.

Præparatoria præmittenda coctioni in iis consistunt, ut viperæ captæ ad locum destinatum deferantur, extremitates earundem, caput scil. & cauda debitè amputentur, pellis, ùt in anguillis detrahatur, pinguedo, ut & viscera interna, nec non fel ipsum eximantur & removeantur; Caro residua bis terve, ut Aetius, vel sæpiùs, ùt Haly voluit, aquâ purâ fontanâ nullo adjecto Sale abluatur & depuretur.

Seplasiarii nonnulli Theriacæ compositionem æmulantes viperas captas servant, sec. Matth. in quæst. med. p. 124. *donec justã quantitatem acceperint: modus ille â Senatu Veneto rejicitur, non tàm; quòd dùm alieno & insolito pabulo nutriuntur, proprias naturales vires deperdant, ut idem opinatus est, quàm quòd ob denegatum liberum motum & aerem coarctatum plus excrementorum & veneni colligatur, minusq; aptæ tùm reddantur.* Hinc cum Avicen. Æginet. lib. 1. de re med. c. 15. *ut & aliis recenter captas viperas sumendas monet* Quercet. dogmat. Phar. p. 510. *Circa detruncationis terminum litigant inter sese Medici; Paucis cum Marantha respondeo, ad quatuor digitos & non plures caput & caudam amputari debere, idq; si grandiores fuerint, minoribus minus quoq; auferendum. Errant verò qui Gal. contradictionem affingunt, & ex l. 11. simpl. med. fac. titul. de Viperis, caput solùm non caudam esse colligunt; nam ibidem loci dubitanter potiùs hác de re disseruit, ex professo verò* lib. de Theriac. ad Pis c. 9. & l. de Antidot. c. 8. *ubi utramq; partem amputandam esset voluit.* Vid. Zacut. l. 1. de princ. med. hist. 84 p. 589. *Cur verò caro tantùm ab Andromacho fuerit assumpta, non verò aliæ partes, satis ex antecedentibus liquet.*

Coctio

XIII.

Coctio ipsa peragitur, dùm carnes ablutæ & depuratæ aquâ affusâ in vase novo fictili, anetho & Sale adjectis, substrato igne & carbonibus quernis, vel etiam Vitium sarmentis eousq; coquuntur, donec â spinis commodè separari possint.

Coctioni carnis viperinæ dicam scribere eamq; planè inutilem esse affirmare haut erubescit Quercet. Pharm. dogmat. p. 569. *existimans, illâ Virtutem carnis primam & substantificam penitùs cum jusculo confundi, carnisq; vix dimidiam partem, vel tantillum solummodo restare, & hinc ipsos inde formatos Trochiscos adeò facilè putredini esse obnoxios, ut, nisi alterna & frequens illa de uno latere in alterum accederet versio & desiccatio, momentaneam facilè incurrerent alterationem & destructionem. Objiciunt alii, vim bezoarditam in carne hospitantem coctione evanescere & perire. Admiratione me herclè vix caret, quâ de causa antiquitati ita contradicatur, quæ nec ratione nec experientiâ destituta tale quid attentavit; salutarem & planè admirandum trochiscorum horum ex carne paratorum usum in curandis plurimis morbis tot secula testātur, nec contrarium in medium adferri potest. Et quotusquisq; est, qui non intelligit, alexipharmacum illud in Mumiâ viperinâ delitescens, ita esse fixum, ut nulla ustione, aut calcinatione, nedum coctione annihilare posset? Nonne Sales Theriacales ex combustis parantur? At quantæ Virtutis, quantæ efficaciæ! nonne ex leviter calcinatis Colubris pulvis Bezoardicus animalis conficitur? Adhæc & Coquis notum est virtutem alimentarem coctione non perire, sed potiùs ita præparari, ut caro idoneè cocta â calore nostro actuata faciliùs innatum suum balsamum suppeditare possit. & licet aliquid relinquatur jusculo, potior tamen & fixior pars ipsi remanet carni, quæ & in contusis & expressis vix totaliter elicitur. Quòd verò Trochisci facilè alterationem incurrere possint, huic in supradictis satisfactum puto. De iis, quæ inter coquendum addi solent, ut & de Salis adjectione consulatur* Marãt. p. 210 211. ut & Tidic. p. 152.

Tor-

XIV.


Trochiſcorum efformatio ſic peragitur: Carnes coctæ & â ſpinis ſeparatæ, paululum ventilantur, mox in Mortario ſolido exactè conteruntur & in pulverem rediguntur, tandem cum pane probè cocto & comminuto, adjectâ exiguâ juſculi viperini quantitate, in Trochiſcos tenues & parvos rediguntur, ſicq; in loco commodo de die ſæpiùs vertendi aſſervantur.


Sunt, qui nil panis adhibent, ut ex Nicol. Mireps. ſ. 22. c. 4. *videre eſt: Alii contra mentem Gal. & aliorum antiquorum Medicorum azymum admittunt, ut ex* Amat. Luſit. C. 2 curat. 55. *conſtat. De hoc tamen ut & quantitate panis videatur* Tidicæus p. 146. *nec non* Marant. *& alii. Vnicum hic monendum, quòd Trochiſci Viperini ex Italia ad Nos delati ſatis vegeti ſint, & commodè uſurpari poſſint, ſi enim dextrè aſſervantur, etiam ultra annum, Gal. teſte, in vigore permanent.*

XV.

Vſus Trochiſcorum reſtat, qui eſt, quòd primariò omnibus venenis & Serpentum morſibus, Viperæq; inprimis efficaciſſimè adverſentur, balſamicâq; ſuâ Virtute non tantùm Naturæ noſtræ robur concilient, ſed & eandem in expellendis & curandis morbis cutaneis multum juvent. Secundariò excalefaciendi, exſiccandi, attenuandi, & valenter digerendi facultate polleant.

Hæc omnia ex antedictis conſtant; Facilè ergò hinc quivis colligere poterit, cur ab Andromacho viperinæ carnes ad Theriacæ confectionem ſelectæ fuerint?





CAPUT SECUNDUM

De

TROCHISCIS HEDYCHROIS.

in genere, & in ſpecie de ASPALATHO & MARO.

Aphor. I.

VIſis Trochiſcis Viperinis; alterum Trochiſcorum genus examini ſubjiciendum venit; ſc. HEDYCHROI, qui ſunt compoſitio odorifera ex variis aromatibus debitè præparatis in paſtillos ſiccos formata, ut & Theriacali, & aliis inſerviret uſibus.

Variis compoſitum hoc inſignitur nominibus. Nam & Paſtilli, & Rotulæ & magma (quod Galen. *fecem myrobalani* 7. de compoſ. med. ſ. g. c. 7. *&* Plinius 13. N.H.c.2. *fecem unguenti appellavit; à μάττομαι ſubigor: vel, ut alii cenſent, à μίγνυμι & μιγνύω miſceo, confūdo, hinc μάγμα q. μίγμα miſtura, unde unguentum omne ſeu ſpiſſamentum pauco liquore ſubactum, ut non diffluat, dicitur μάγμα) & Paſtæ Hedychroæ dicuntur. Malè tamen, ut vult* Deſsen. Cronenburg. l. 1. de compoſ. med. p. 20. *quidam Trochiſcos hosce Halicarotites aut Aridaracarum barbarè appellarunt. Nec minus ridendus ille à* Galeno 1. de Antid. c. 10. *notatus*

tus Medicus Romanus, qui Hedychroon tanqnam ſimplicem herbam quandam à ſeplaſiariis petebat. Dicuntur autem ἡδύχροοι ab ἡδὺς ſuavis & jucundus & χρόα ſ. χροιὰ color, quòd ſuavem & gratum exhibeant aſpectu colorem, vel etiam, quod ejus legitimum uſum grata excipiat ſanitas, cum colore corporis florido & jucundo.

II.

Horum conſideranda primùm Compoſitio, deinde Vſus: Illa vel in Genere formulam & præparationem; vel in Specie ſingula ingredientia penſitanda proponit.

III.

Formula conſueta hæc eſt.

℞. *Aſpalathi, Aſari, Mari*
Amarac. an. Dr. ij.
Calam, aromatic. Schœnanth. Coſti.
Phu Pontic. Cinam. Opobalſ. Xylobalſ. an.
Folii, Nardi Ind. Caß. Myrrh. Dr. iij.
Croc. an. Dr. vj.
Amomi Dr. xij.
Maſtich. Dr. j. Vini Falerni. q. ſ. Miſce. F. Trochiſci.

Veteres Medici diverſas horum Trochiſcorum propoſuêre deſcriptiones, ut ex Gal. l. de Theriac. ad Piſon. *&* l. ad Pamphil. de Uſu Theriac. *nec non ex* Aetio tetrab. 4. ſerm. 1. c. 89. *Palmam tamen obtinuit ea, quæ* 1. de Antidot. c. 10. *deſcribitur, & à nobis exprimitur, nam ab Andromacho continuâ ſerie ad alios deveniſſe, & propagatam eſſe ibidem legimus.*

IV

Præparatio talis eſt. Arida contunduntur & cribrantur, Crocus cum Vino in pilo diligenter diſſolvitur. Myrrha deinde & Maſtiche adjectis probeq́ miſtis oleo ex nuce myriſtica irrigantur arida. Viniq́; ea quantitas affunditur, quæ ad ſpiſſamentum efficiendum ſufficiat. F. magma: ex quo deinde paſtilli efformantur tenues in umbra exſiccandi.

Ita hoſce præparari vult Aëtius. l. c. *cui & alii ſubſcribunt: vide ulteriorem præparandi rationem aput* Bauderon. Pharmacop. l. 1. ſ. 9. p 193. *Quale verò Vinum ſeligendum ſit pluribus differit*Silvatic. l. 1. de Theriac. p. 84. *Diſpiciendũ v.* Utrum inſignis in eo cõmittatur error, quòd ex ſpeciebus hiſce Trochiſci efformẽtur? *Ita quidẽ vult* Panſa Tract. de quatuor Antidot. p. 38. *idq́ propterea; 1. quia inanis & ſuperfluus eſt labor, dũ primùm formãtur Trochiſci, mox formati ad Theriacæ uſum denuò in pulverem rediguntur. 2. quia repetitâ pulveriſatione non parùm virtutis & efficaciæ perit. 3. quia plurima, quæ Theriacam ingrediuntur, hanc quoq́ compoſitionem conſtituunt, potuiſſet potius doſis ingredientium illorum augeri. Verùm ſine ratione hanc ſibi in Andromachum & alios ſumit cenſuram Panſa, cum non ſine cauſa Trochiſcorum efformationem deſiderarit Andromachus ſc. ut & aliis uſibus inſervirent ſ. etiam ad hanc uſurpationem ad manus eſſent. Et quis ille ſuperfluus labor, ubi majus commodum expectandum? Nec quicquam de viribus perit in repetita pulveriſatione, ubi hæc debitè inſtituitur: Et licet doſis nonnullorum potuiſſet augeri, aliter tamen Andromacho viſum fuit: Qua de cauſa & celeberrimis Medicis Trochiſci hactenus in uſu fuerunt.*

Ingredientia ſunt vel Communia vel Propia: Illa ſunt, quæ ad Theriacæ quoq; compoſitionem aliàs concurrunt, & ſuo tempore conſideranda erunt: Hæc ſunt ſeptem. Aſpalathus, Aſarum, Marum, Amaracus, Calamus aromaticus, Xylobalſamus, Maſtix.

Quis non infelicem Artis Medicæ rationem deteſtatur? is enim circa ſimplicium hiſtoriam eſt diſſenſus, ut vix unum aut alterum dari poſſit Theriacale ingrediens, quod non in dubium à plurimis vocatum. Cauſas puto 1. quòd nimiùm Theophraſto, Dioſcoridi vel Plinio antiquis Vegetabilium Scriptoribus ſit tributũ, ita ut relligio nõnullis eſſet, vel latũ unguem in manifeſtis contrariis recedere. 2. quòd rarius frequentatæ navigationes tum materiam ex Indiis petendam iis denegarint. At cur Autoritates veritati præferendæ? nunquam ſanè Hippocrates in eo apud Galenum fuit cenſu, ut tantum dicenti crederetur, non v. cum ratione quid differenti; hinc & tanti Medici auctoritate poſtpoſitâ veritatem amplexus eſt. Cum v non uno in loco Dioſorides fateatur ſe ex relatione aliorum quædam hauſiſſe & annotaſſe, nec oculis propriis ea uſurpaſſe, quis non erroris eum interdum inſimulare poſſet, imprimis cũ navigationes hodiernæ ea, quæ apud Romanos & Græcos rariora erant, jam largiore manu nobis ſuppeditent. Nec defuerunt Medici, qui Regiones ipſas perluſtrarunt, ſimplicium hiſtoriam inveſtigarunt, eandemq; bonâ fide poſteritati conſecrarunt. Horum itaq; obſervationes cum Antiquis conferendæ & ad Lydium veritatis lapidem affricandæ, quò repulſis tenebris Lux ipſa affulgeat.

VI.

ASPALATHVS ſ. Eryſiſceptrum fru-

tex eſt lignoſus (non ſurculoſus, ut monet Fallop. in l. 1. Dioſ. c. 20.) multas ferens ſpinas, gravis, & ubi decorticatus eſt ſubrubicundus, aut purpuram referens, denſus, odoratus, & in guſtu amareſcens.

Differt ab hoc ἀσφάλτος, *quod bitumẽ eſt mari mortuo innatans, quodq; bitumen Judaicũ nominatur* Ασπάλατος *v. vegetabile quoddam eſt, & dicitur q. non vulſibilis, quod difficulter evellatur è corpore eorum, qui in eam impegerunt. Delineationem hanc ſuggerit nobis* Dioſcorid. l. 1. mater. med. c. 9. *A quo divortium facit* Plinius l. 24. N. H. c. 13. *Hic enim radicem eſſe dicit; Ille v. partis uſurpandæ nullam facit mentionem; alii Corticem malunt, ut ex Galeno conſtat. Quia v. Dioſc. optimum dicit eſſe gravem & rubentem, non niſi ligno hæc accõmodari poterunt. Plinius duplicẽ ejus conſtituit differentiam; alteram Arborem juſtæ magnitudinis, alteram fruticem humilimum. Dioſcorid. utramq; ſimpliciter fruticẽ appellat nullâ factâ arboris mentione. Ille candido aſpalatho ſuavitatem odoris inenarrabilem tribuit; hic eundem ſine odore, & ob id deterius proclamat.* Fallop. 1. de mat. med. c 20. in Dioſc. *tria inde elicit genera. 1. Orientalem aſpalathum Plinii 2. Diſcorid. Subrubrum ſub cortice odoratum. 3. inodorum naſcentem in Hetruria.* Carolus Cluſius l. 1. Hiſtor. Plantar. p. 105. *triplicem ſimiliter deſcribit.* Lobelius in adverſar. p. 427. *ſcribit, ſedulâ inveſtigatione recentior ũ factum, ut tres Lignorum differentiæ ſibi innotuerint; primum fuit denſum, ſolidum & compactum q. cujusdam fruticis imæ parti reſectum, ponderoſum, colore buxeo, ſed ſaturiore, ſuaviſſimo odore & pertinaci: ſapore, non ita amaro, nec guſtu inſuavi. Altera ſpecies Rhodo miſſa, rubens cortice demto,*

 odore

odore adeò flagrante, ut, quàm latè patebat cœnaculum eximio imbueret odore. Tertia alba foris, intus torulo sub flavo aut citrio santali albi & citrini simillima, albam rosam sapiens, nullam gustanti manifestam exhibens qualitatem, nisi tantillum calidi, quod vix gustû discerni potest. Ex dictis tria ventilanda occurrunt. 1. An lignum, an v. Radix usurpanda? 2. An nostrates Pharmacopœi verũ lignũ possideant? 3. Quale nã in ej⁹ defectu substitui posset succedaneũ? *Circa primum notat* Cornarius in l. 1. Diosc. Emblem. 19. *non lignum, sed radicem in usum trahendam esse* 1. *quia Plinius radicis meminit, non ligni, illamq; in unguentis expeti.* 2. *quia* Hipp. 2. de morb. mulier. *circa finem radicem nigram cum aliis quibusdam tritam in Vino nigro bibendam exhibet.* 3. *quia Galenus exponit* μέλαιναν ῥίζαν *appellari radicem aspalathi aromatici. Verùm enimverò rationes hæ nil aliud evincere videntur, quàm radicem quoq; à Veteribus non neglectam fuisse. Lignum verò præfertur, quia ponderositas, quam Diosc. exigit, meliori jure illi competit, adhæc cortex removeri debebat, tandem & plus efficaciæ ab illo expectandum, ut taceam jam unanimem consensum ferè omnium Medicorum clarissimorum. Quod ad alterum, non id carere videmus difficultate; fruticem enim dicit Dioscorid. ut & Clusius, at nobis objicitur lignum satis ponderosum, & quidem Arboris justæ magnitudinis. At sunt nonnulla Fruticum genera, quæ non raro in Arbores eximiæ magnitudinis abeunt, ut Juniperus, Rhamnus s. spina infectoria, & similia; ad quod genus non incommodè & Aspalathus referri potest. Haut ergò sine caussa Fallopio assentimur, qui verũ Aspalathum ex Indiis haberi posse, asserit; genuinumq; ejus lignum Venetiis adportari, teste Silvatico. Quanto v. in errore versentur ii, qui Aspalathum nil aliud, quàm santalum rubrum, aut Lignum*

Rhodi, vel etiam Brasilianum esse volunt, vel sola inspectio & singulorum collatio & examen docere possunt; pluribus tamen de differentia hacce agunt Matthiol. in Diosc. & Silvatic. l. de Theriac. *Tertium non frustra quæritur; ubi enim vel ob temporis injuriam eo caremus, quod Galeni & patrum nostrorum tempore accidit; vel etiam inodorum, & ob ætatem exiguarum virium ad nos defertur, quis non de succedaneo ejus esset sollicitus? Galenus semen Viticis substituit, at minus commodè, licet enim hoc, ut habet* Matthiol. l. 5. epistol. p. 576. *venenatis ferarum ictibus auxilietur, semen tamen pro ligno ineptè substituitur, ut* Sect. 1. Aphor. 23. *notatum est; alii v. vel lignum aloes, vel santalum citrinum, vel cortices radicum Rhamni, vel etiam Lignum Rhodi seligere voluerunt; in quorum ultimo mens acquiescere meritò potest, non tantùm ob externam cũ Aspalatho convenientiam, nã cortice decorticato rubet aliquo modo, suavemq; de sese spargit odorem & aromaticum, sed & internis, quibus præditum est, vix cedit virtutibus, ut alibi monstrabitur.*

VII.

LOCUS NATALIS Discor. fuit Ister, Nisyrus, Syria & Rhodus. Fallopius Pisis in monte nigro & Coo Insula provenire scribit. Clusius quoq; diversa eidem constituit loca.

Clusium genuinum descripsisse Aspalathum, inprimis ad mentem Diosc. dubitari posset. Nam triplici differentiæ totidem aßignat regiones. Primum genus in Cantabria, & variis Hispaniæ ut & Narbonensis Galliæ locis; secundum in Castella veteri; Tertium in Cantabria ad radices Pyrenæorum, quà Hispaniam spectant, provenire vult. At cum hæc loca Galeno satis fuerint cognita, cur de succedaneo fuit sollicitus?

citus? cur & Patrum nostrorum memoriâ frequentior ejus non fuit usus?

IIX.

QVALITATES ejus aliæ sunt Manifestæ, aliæ Occultæ: Illæ ad caliditatem accedunt cum aliquali adstrictione: Hæ v. in Alexipharmacâ, quâ venenis resistit, & Balsamicâ aromaticaq́, virtute, quâ Naturam nostram roborat, consistunt.

Licet Galenus contradicere videatur Dioscoridi, dum hic Aspalathum amarum, ille v. acre & adstringens dixerit: Facilè tamen ex Fallopio conciliatio suppeditatur, qui vult; Galenum de eo locutum esse ligno, quod in suis oriebatur regionibus; Dioscoridem v. de præstantiore in Syria nascente; hocq́, dicit habuisse procul dubio amaritudinem; illud v. in Græcia & alibi proveniens acredinem odoremq́, nullum. Regionum quippe diversitas Temperamentorum variare naturam non insolitum est. Idem Fallop. asserit, solo aspalathi ictu Cervas spinâ ejus percussas mori, unde & capitibus sagittarum posse adaptari maximo cum Venatorum proventu.

IX.

VSVS ejus primarius est, ut occultis suis facultatibus adversus Venena Naturæ nostræ succurrat, & symbolum suum ipsis Trochiscis Theriacæ inserviendis conferat; secundariò v. aliis quoq́; usibus inserviat.

Nil de eo, quòd adversus venena valeat, Dioscorid: forte quod satis perspecta omnibus suo sæculo fuerit virtus hujus ligni. Generale tamen nobis sit; Omne Aromaticum non tan-

tùm

tum odore suo grato & fragranti Naturam nostram roborare, spiritusq; vitales & animales recreare; sed & adversus venena plurimùm valere. Id tamen & ex Diosc. constat; Decoctum hujus Ligni potum alvum & sanguinis eductiones sistere, Urinæ difficultatem & inflationem solvere: adhæc collutioni oris subvenire; ad fervida ejus ulcera sananda, ad serpentia item in pudendis locis, & immunditiem, nec non ad Ozænas narium commodè infundi.

X.

MARVM Herba est surculosa flore Origani, sed odoratiore, foliis candidioribus, vim Sisymbrio similem obtinens, subastringentem, & leniter calefacientem.

Ita Marum depictum legimus apud Dioscor. l. 3. c. 41. *Galeni tempore Unguentariis idipsum incognitum fuit; hinc & subsequentibus temporibus dubitatum fuit de ejus veritate.* Marcellus Virgilius *id Sisymbium esse dixit;* Hieronym. Tragus *sylvestrem majoranam. Monard. Sampsuchi speciem. Plurimi cum* Matthiol in l. 3. Diosc. c. 42 *existimant Marum esse speciem Majoranæ spirantis fortiorem odorem, insignemq; præ se ferentē gustu amaritudinem, quæq; foliis viret minusculis, candidioribus & tenuioribus. Nec defuerunt, qui majoranæ speciebus neglectis de succedaneis solliciti fuerunt, hinc cum* Fernelio & Fuchsio *Balsamitam, cum* Augustanis *v.* & Coloniensibus *folia Dictamni Cretici substituerunt. Verumenimverò licet Marum maximè ad naturam Majoranæ nobilis accedat, & iisdem cum hac polleat viribus, nihilominus tamen non confundendas esse hasce censemus plantas, multo minus peregrinas in ejus locum surrogandas: sed Marum quod ad nos defertur, & notis à Dioscoride*

relictis gaudet retinendum, quod eum aliis Thorunienses factitârunt, & ad Trochiscorum horum confectionem usurparunt, ut Tidic. tr. de Theriac.p.174. *scriptum reliquit. Nec eo caret officina nostra Pantzeriana, similiter ad usum prædictum id ipsum expetens. Quod si tamen defectus aut bonitas ejus succedaneum urgent, sano consilio ad Majoranam tenuifoliam devenire poterimus.*

XI.

LOCUM NATALEM designat Dioscor. juxta Magnesiam & Tralleis. *Plinius l. 12. N. H. c.24.* Ægyptum,Gal.Cretam &Asiam.

Matthiolus l. c. facilè se adduci posse tradit, ut existimet, Marum non nasci in Italiâ; sententiamq; ejus adauget Plinius, qui cùm Galeno censet herbam hanc esse peregrinam in Italia, & hac de causa inter ea odoramentorum genera collocavit, quæ ab Exteris regionibus in Italiam convehuntur. Tabernæm. l. 2. Herbar. c. 2. *varias Mari species enumerans, ex Asia dicit & Ægypto in Italiam quoq; deferri, num. v. ibidem proveniat, non meminit.* Lobel. in advers. p. 213. *Mari Syriaci mentionem facit, quod cum Dioscoridæo maximè conspirare vult, & quoad odorem, & quoad externam faciem, refertq; ibidem per decennium plantam hanc odoris fragrantiam retinuisse: & sunt qui nostrum Marum ex peregrinis locis allatum idipsum esse contendunt. De Maro Cortusiano vide* Lobel. l. c.

XII.

QUALITATES ejus manifestæ in calefaciendi &astringendi virtute subsistunt; occultæ v. in alexipharmaca facultate.

Diosc.

Diosc. l. c. paucis innuit, Marum leniter calefacere, & adstringere, vimq́ habere Sisymbrio similem, alii eandem cum Majorana obtinere qualitatem affirmant. Mundererus in Aloedario c. 2. *multis encomium ejusdem delineat, & inter Cephalica haut postremum locum obtinere statuit: Ventriculo, Jecori, Lieni, Pectori & aliis partibus auxiliari, &c. at quis de occulta ejus dubitabit qualitate, cum inter aromata non infimum occupet subsellium, & spiritibus nostris læto affulgeat odore?*

XIII.

USUS ejus est ad depellendos affectus ex frigida causa obortos, ad conciliandum robur internis visceribus, & ad resistendum venenis.

Licet Theriaca primariò respiciat affectus venenatos, nihilominus & aliis dicata est morbis, inprimis ex frigidiore principio generatis; talia itaq; expetiit ingredientia, quæ principalioribus partibus prospicerent, & partim adversus insultus morborum eas munirent, partim à causa morbifica oppressis succurrerent. Utrumq; à Maro expectandum. s. enim assumatur, s. etiam masticetur, multùm valet in Apoplexia, Paralysi, Spasmo, Vertigime, Tetano, sensuum obfuscationibus, nec non aurium Doloribus. Pituitam à Cerebro detrahit, & spiritus animales reficit ac redintegrat. Jecinorosos & Lienosos juvat, obstructiones viscerum aperit. Utero medetur frigidiori, Colicæ subvenit, incipientem Tympanitidem prohibet, omniaq́ longè potentius, quàm Majorana nostra præstat, ut differit Münderer. l. c. *Quod si verò Sisymbrium ad scorbutum efficax est, quis de Maro dubitabit illi haut absimili?*

Caput Tertium

DE ASARO & AMARACO.

Aph. I.

ASARUM ſ. Nardus ſylveſtris, eſt Herba odorata coronaria, folia habens hederæ ſimilia, ſed multò minora ac rotundiora, flores inter folia ad radicem purpureos odoratos, in quibus ſemen vinaceis ſimile: radices ſubſunt multæ, geniculatæ, tenues, obliquæ, calefacientes & linguam mordentes.

Dioſcorid. l. de Mat. med. c. 9. *hanc nobis reliquit deſcriptionem; utut verò vel mulierculis cognita ſit illa ipſa herba, immunis tamen absq; dubiis haut eſſe potuit. Fuerunt enim qui aſarum & baccharim, cujus Dioſcor. l. 3. c. 43. meminit, unam eandem dixerunt eſſe plantam: aterrare illos ipſa* αὐτοψία *ſatis evincit, vide &* Matthiol. comm. in Dioſc. l. all. Smetium in miſcell. p. 479. Fallop. in l. 1. Dioſc. c. 13. Lobel. in adv. p. 245. *Deinde* Plinius *à Coronariis herbam hanc excludit & l. 21. c. 6. exiſtimat Aſarum vocitari, quoniam in Coronis non addatur: cum quo facit* Fallop. *l. c. qui* ἄσαρον *ab* α *&* σαίρειν *vel* σαρεῖν *dictum putat, quod non poſsit commiſceri aut complicari in Coronis; additq; nec Scrapionem, nec Oribaſium hujus, tanquam odoratæ & coronariæ, mentionem feciſſe; erroremq; inde ſubortum, quod non diſsimile ſit Bacchari, quæ & ad coronas apta eſt, ſimul & odorata & pulcherrima. Verùm quis negare poterit, Aſarum odorem ſpirare, quo plurimi apprimè delectantur, & in pedilaviis quoq; expetunt? quis flores ejus coronis addi poſſe impos-*

ſibile

ſibile putat? Smetius *l.c.* ἀπὸ τοῦ σαροῦν, *à verrendo derivat, quòd eo antiquitus non verreretur; nullæ enim exinde ſcopæ luſtrales purgandis Deorum aris fieri ſolitæ, conficiebantur. Quicquid ſit, majoris momẽti eſt id:* Utrum Radices an folia ad confectionem horũ Trochiſcorũ locũ inveniant? *Pro hiſce pugnat* Silvatic. p. 57. *& quidem* 1. *quòd radicibus inſit vis purgandi, quæ tamen in Trochiſcis non expetitur,* 2. *quòd Andromachi Carmen radices expreſſè & in ſpecie non deſignet.* 3. *quia folia faciliùs areſieri, & in pulverem redigi poßint* 4. *quia Odor, acrimonia, caliditas & amaritudo, ob quæ radices præferuntur, æquè inſint foliis* 5. *quia dum inter Marum & Majoranam, quorum folia uſurpantur, Dioſcorid. aſarum quoq; recenſuit, utiq; ejus quoq; folia probâſſe viſus eſt. Verum rectius cum Marantha & aliis Radices præferimus, cùm plus de aromatica qualitate participent. Nec eſt, quòd Catharticam ejus vim pertimeſcamus, quam* Fallop. tr. de ſimpl. facult. c. 45 *adeò lenem eſſe exiſtimat, ut ferè nulla ſit. Emetica vis & radic. & foliis competit, & facilè ab aliis ingredientibus infringitur. Quòd v. Andromachus radices ſcripto expreſſerit, id fortè Carminis ratio perſuaſit, ſed nec foliorum meminit: reliquæ rationes ut nullius ſunt ponderis, ita facilè dilui poſſunt. Radices ergò uſurpandæ, & tum effodiendæ, cum folia emittere incipiunt, in ſole exſiccandæ, niſi recentibus uti velimus; nam ſi in umbra ſiccantur, ſitum celeriter contrahunt & ſeneſcunt, præcipuè ex locis riguis; ex macris v. minus id expectandum, ſint firmæ, odoratæ, quoad guſtum acuisſimæ, non obſoletæ.*

II.

NATALE SOLUM ei Dioſcor. adſignavit Pontum, Phrygiam, Illyricum & Juſti-

nam Italiæ: optimum provenire dicit Plin. in Ponto. proximum in Phrygia: tertium in Illyrico, ſed & in Thracia inventum fuiſſe ſcribit.

Indicum hoc dicit eſſe medicamentum Silvatic. ſuo tamen tempore etiam in Eugnatii montibus proveniſſe. Verùm nec noſtras Regiones eo deſtitui, notiſſimum eſt; nec eſt, quòd quis virtutis ejus præſtantiam in dubium vocet, cùm non tantùm ſapor & odor, ſed & experientia in plurimis affectibus de eodem hactenus teſtata fuerint.

III.

QVALITATES manifeſtæ in calid. 2. ſiccit. 3. gradu collocantur; inſignem inſuper aperiendi, ſeroſos humores pellēdi, Vrinam ciendi, Hydropicis̄ ſuccurrendi, coxendicum morbis opitulandi facultatem obtinet. Occultæ quoq; in alexipharmacâ virtute conſiſtunt.

Avicenna *magis calidàm, quàm ſiccam ſtatuit.* Fallop. *in 4. grad. cal. & ſicc. At aliud ſenſus evincit. Hepaticam eſſe herbam ſignatura docet, unde ejus frigidioribus affectibus mirè opitulatur. Sed & Capiti & Utero, unde nonnullis Vulvago dicitur, prodeſt.*

IV.

VSVS ejus primarius eſt, ut balſamum noſtrum adverſus venena muniat, & viſcera interna corroboret: Deindè ſecundariò multis aliis affectibus ſuccurrat.

Quantum in febribus pellendis Aſarum valeat, ex Mathiol. l. c. *conſtat, ita a. ille: In Germania Ruſtici tertia-*

nam febrem & Quartanam curant epoto Asari, ex Vino decocto Melle, maci, cinam. & id genus aromatibus additis; bibunt n. hujus decocti calidi cyathum unum, alii quotidie, alii alternis diebus, itaq; alvum subducunt. Et quandoq; bilem aut Pituitam vomitionibus reddunt: accedente Paroxysmo dorsalem spinam & plantas pedum inungunt oleo calido, in quo Asarum diu fuerit insolatum, & deinde in lecto se componunt calido: sic enim horror minuitur, & sudor copiosus funditur. Hodiè à clarissimis Medicis non rarò drachma dimidia pulveris rad. Asari cum Aq. Carduib. propinatur ante Paroxysmum, unde præcedente Vomitu uberrimus subsequitur sudoris proventus: Robustioribus tamen tantùm concedendum. Quantum & hæc ipsa Planta in Ictero, Hydrope & similibus affectibus valeat praxis docet. Pulmonum quoq; vitiosos corrigit humores, & tussientibus asthmaticisq; confert, si cum melle & Vino decoquatur.

V.

AMARACVS s. Sampsucum L. Majorana, Est Herba odorata, ramosa, caulibus tenuibus, obsequiosis, foliis oblongis incanis pilosisq; cauliculos circumquaq; vestientibus, flores edit in summis caulibus spicatos herbace; coloris cõpactili squammarum congerie, è quibus minutum oritur semen.

Matthioli descriptionem retinere placuit: quam enim Dioscorid. l. 3. c. 39. *in historia Sampsuci tradit, ea difficultatibus non caret. Licet ibidem sampsucum Siculis & aliis Amaracum dici scribat, & hinc unam eandemq; esse herbam plurimi colligant, tamem diversum alii opinantur, distinctasq; proclamant, tùm quod Dios. eam per Terram serpentem, folia*

hirsuta

hirsuta habentem delineet, tùm quòd idem distinctis in locis de Amaricino, & sampsucino oleo tractet, tùm quod Galen. non tantùm diversis capitibus utriusq; historiam notet, sed & gradibus caloris differre censeat. Ad quæ tamen cùm pluribus respondeat, & dubia solvat Matthiol. in l. 1. Diosc. c. 47. *eò avidum Lectorem remitto, iisq; subscribo, qui Amaracùm, Sampsucum & Majoranam nostram non differre censent. Nobilior tamen seligenda erit, quæ fragrantiorem præ reliquis speciebus obtinet odorem, quæq; per Hyemem inter medias nives innoxiè nonnunquam viret, &* Renodæo. l. 1. de mat. med. f. 4. c. 30. *hyemalis dicitur, diviniore n. hanc ipsam Plantam Balsamo esse præditam præ alia, quæ frigoris impatiens est, & algidioris brumæ cujusdam occursu perit, quis est qui dubitat? Nomen ineptè à Poëtis derivatur à Puero Amaraco dicto, quem alabastrulum unguinis suavissimi plenum ferentem & lapsum id fregisse præq; luctu intabuisse, inq; amaracum versum fuisse dicunt. Rectius à particula* ἀ, & μαραίνεσθαι *derivatio desumitur, quòd immarcescibilis sit, nec per hyemem corrumpatur, sed vigorem & virorem suum constanter servet.* Σάμψυκον *dictum volunt* παρὰ τὸ σαίνειν τὴν ψυχὴν, *quod animum fragrantiâ suâ demulceat, & recreet. Majoranam verò Matthiolus; quod majore diligentia, quàm reliquæ plantæ, & curâ servetur. Licet v. ab aliis differentiæ aliæ adferantur, in eo tamen meritò acquiescimus, quod viribus inter se non dissideant, sed quamvis in compositionem assumi possint. Utrum v. flores, an semina, an folia in Theriacalem usum trahenda, disputent alii, nos folia cum summitatibus florum accipienda esse cum* Silvatico p. 56. *asserimus.*

VII.

LOCVS NATALIS Sampsuco à Dioscor. adsignatur in Cypro & Cyriceno, ubi lau-

datissi-

datisſimum provenit: ſecundũ locum vendicare ſibi Ægyptiam, ſed nec aliis Regionibus denegatum eſſe, experientia fidem fecit.

Tenuifolia majorana Hetruſcis Perſa gentile nominabatur, fortè quòd primitus ex Perſia fuerit allata, & poſtmodum aliis Regionibus communicata. Uberiore jam ejus gaudemus proventu. Non quidem ſponte provenit, ut in Ægypto, Cizico & Cypro, ſed vel ſeritur tempore verno: vel etiam poſtmodum ſurculi decerpti humo inſeruntur: alia tamen quæ Hyemalis eſt, & in hortis vel etiam in ollis aſſervata perdurat, diverſam obtinet rationem: ut ut viribus & temperamento nil differat.

VIII.

QUALITATES manifeſtæ in principio caliditatis & ſiccitatis Tertii gradus conſiſtunt, tenuium eſt partium ac digerentis facultatis: inter Cephalicas haut poſtrema eſt planta, adverſus frigidiores ejus affectus militans, ſed & Hepaticis & Uterinis morbis medetur. Occultæ v. in alexipharmacâ virtute, quâ ſcorpionum plagæ ſuccurrit, teſte Dioſc.

IX.

USUS primarius eſt, ut Trochiſcis admixta Majorana vim contra venena agentem augeret: ſed & pluribus aliis opem fert morbis, tùm capitis tùm aliarum partium.

Ut optimum omnium ciborum condimentum eſt Sampſucus, & in culinis magnam meretur laudem: ita etiam medica-

mentosam suam vim in pellendis morbis strenuè exerit. Dioscorid. vult, decoctum ipsius potum in initio Hydropis, Urinæ difficultate ac torminibus prodesse. Præstat ad omnes frigidos capitis & Nervorum affectus, tàm illita quàm pota; valet & ad aurium dolores & sonitus, ubi herbæ succus fuerit instillatus; vide plura apud Dioscor. l. c. Tabermont. l. 2. Herbar. s. 2. c. 1. Trag. l. 1. de stirp. nat. c. 9. *& alios. Quì v. singulari antipathiâ Suibus adversetur, & de proverbio inde orto. Quid Amaracus Sui? consulatur* Tidicæus l. de Theriac. p. 175. *Venenis quoq; adversari ex eo colligitur, quòd si cum sale & aceto misceatur & scorpii plagæ imponatur, auxilio sit. Contra ictus serpentum & aranearum foris adhibita juvat. Nonnulli Aquam ejus destillatam tempore Pestis hauriunt ad sanguinem corrigendum & venenum propellendum; nam contra interranea venena unicè facere docet* Tidic. l. c.

Caput Quartum
DE CALAMO AROMATICO & EJUS SUCCEDANEO

Aphor. I.

CALAMUS AROMATICUS est pars plantæ fistularis frequentibus geniculis prædita, quæ asficulosè in multa segmenta diffringitur, cujus fistula araneis plena, subalbida, in commanducando viscosa, adstringens & subacris.

Tria hic imprimis dispicienda veniunt. 1. Vter noster calamus Officinarum sit Calamus aromaticus veterum? 2. Vtrùm

Utrum Veterum calamus adhuc dum haberi possit? 3. Quodnam in ejus defectu succedaneũ eligendum? Quod ad primũ. *Non desunt sanè, qui nostratis calami patrocinium suscipere, & eundem verum esse calamum asserere audent. Ut taceam* Brasavol. Fuchsium *& alios,* Janus Cornarius comm. in Diosc. l. 1. c. 17. *totus in eo est, ut affirmativam tueatur. Nec audiendos illos esse dicit, qui calamum odoratum se nunquam vidisse ajunt, & non calamum, sed radicem, eamq; magis albicantem, quàm fulvam seu ruffam pro calamo vulgò vendi dicunt. Nam Radicis, inquit, calami usus est, non v. calami ipsius. Descriptio a. calami odorati, quâ ab aliis calamorũ generibus, distinguitur partim ad calamũ, i. e. arundinẽ, partim ad ipsius radicẽ pertinet: quod enim Dioscorides dicit, optimũ esse, qui fulvus est, ad radicẽ referendum est; quod v. frequentibus geniculis præditum ait, & assiculosè in multa segmenta diffringi & fistularum araneis plenam habet, quemadmodum etiam in nostris calamis videmus, id ad calamum referri. Verum enimverò, ut incerto hæc omnia nituntur fundamento; ita rationes in contrarium à Matthiolo allatæ prævalere videntur. Nam 1. Calam. Diosc. propriè dictus est calamus seu juncus aut arundo, non v. radix, hinc* σύριγγα *nominat, & Plin. arundinem: at noster sub radicis forma visitur. 2. Ille, Planta est exotica in Arabia, India, Syria proveniens, noster v. non peregrinus, sed inquilinus est. 3. Noster non arundinis modo cum cavo s. fistuloso caule, verùm absq; eo Iridis in modum crescit. 4. In veri calam. cavitate s. canna araneum quiddam albicans apparet, ut in omni arundinum genere, quo interna illa cavitas expletur, in nostro nil tale observatur, sed quid solidi tantum. 5. Ille assulatim frangitur, ut aliàs arundo, nil in nostro tale.* Secundũ *quod Concernit.* Matthiol. Com. in l. 1 Diosc. c. 17. *Vero calamo ævo suo se destitutos esse fateri* non

non dubitavit. Verùm Clusius l. 1. Aromat. histor. c.32. *eundem dari, & quidem in Calami forma à Dioscorid. depicta, ipse exhibet, quo & Lugduni Allobrogum in dispensatione Theriacæ usi sunt.* Smetius *similem vidit Anno.* 1607. *Heidelbergæ in officina Sprengeriana, ut notat in miscellan. p.*794. Tidicæus Medicus Thorunienlis *eundem se conspexisse, & similiter in Theriac. compositione usurpasse refert* l. de Theriac. p. 181. *Nec officina Pantzeriana eo aliquando destituebatur; verus erat calamus & genuinis notis à Dioscoride præscriptis insignitus, non tamen in Theriacæ compositionẽ acticus, eo quod nil fere aromaticæ virtutis spiraret, plusq; efficaciæ à nostro expectari posset. Datur ergo revera adhuc dum in rerum Natura, datur & in nonnullis officinis, at non simili & desideratâ semper virtutę.* Tertiò. *Necessarium erit de succedaneo cogitare. Frustra v. vel Agallochum, vel Radicem Rhodiam, vel Angelicam cum aliis proferemus, cum noster calamus ut ut non externâ formâ, internis tamen qualitatibus aromatico Veterum multum respondeat: nam tota Radix aromatica est, & ob insignes quas obtinet virtutes variis Antidotis admiscetur.*

II.

LOCUS NATALIS veri à Dioscoride India constituitur; à Plinio Arabia, India & Syria. Noster verò in Polonia, Tartaria, & Germania, nec non nostra Borussia provenit.

Garzias ab Horto l. c. *negat in Arabia aut alibi verum calamum nasci, licet Plutarcho Arabicus, & Celso Alexandrinus indigitetur; Nam ego inquit, ut veritatem elicerem, sciscitatus sum à multis Coraconæ incolis & Arabibus, qui huc venales equos adducunt, si apud eos nasceretur calamus; Item, an esset eis cognitus, eoq; uterentur. Negarunt*

omnes

omnes apud ſe inveniri, niſi ab Indis advectum mercimonii gratiâ; probeq; ſibi cognitum, utpote cujus plurimus apud eos eſſet uſus. Non falluntur tamen, qui Arabicum vocant, nam ex India in Arabiam defertur, & inde in alias Regiones: neq; qui Alexandrinum appellant, quoniam hinc Alexandriam, deinde Baruth & Tripoliam Syriæ defertur. Quod a. Manard. l. 8. epiſt. 1. *dicit in Pannonia ſe vidiſſe adeò recentem, ut non longè petitus videretur, fieri poteſt, ut fallatur; aut ſi viderit, ſatum fortè in ſporta aut fictili vidit &c. hactenus ille. Noſter v. non niſi in Europa naſcitur, & omnibus Arabibus, Turcis, Coraſonibus & Indis medicis ignotus eſt. Polonis dicitur Tatarzkie ziele, quòd in Tartaria uberrimus ejus ſit proventus, unde ad alias quoq; Regiones deportatur.*

III.

QUALITATES manifeſtæ ſecundum Garziam in ſecundo caliditatis & ſiccitatis gradu percipiuntur, lentorem quendam in mandendo & adſtringendi vim cum aliquanta acrimonia prodit: occultam ſuam poteſtatem aromatico odore manifeſtat.

Eundem gradum Cal. & ſicc. Galen. 7. de ſimpl. med. fac. *ei adſignat. Noſtrum v. Calamum ſ. potius Acorum in tert. gr. cal. & ſicc. ponit* Gal. 6. ſimpl. med. fac. *ita tamen, ut in fine ſecundi ille; noſter v. in principio tertii conſtituatur, ſicq; exigua differentia animadvertatur; imprimis cùm in Regionibus calidioribus & ubi exſiccatæ ſunt radices, calor ipſe intendi poſſit. Noſter inſuper amaritudinem haut ingratam obtinet cum acrimonia quadam, & odorem haut injucundum; urinam teſte Gal. movet, additq; Dioſcorid. ad virulentarum beſtiarum morſus facere, cui conſentit &* Matthiol. l. 5. epiſtol. p. 577.

USUS erat veri, notante Diosc. ut potus urinam moveret, & cum graminis aut apii semine coctus in Hydropicis, Renum vitiis, stillicidio Urinæ ruptisq; haustus commodè assumeretur: quin & secundum eundem menses & potu & appositu pellit: ad muliebres insessus decoquitur, & Clysteribus imponitur.

An non verò eædem virtutes, iidemq; usus nostro calamo seu Acoro vero competunt? Decoctum potu urinam cit: additq; Fallop. in Comm. l. 1. Diosc. c. 6. *sese expertum esse, multum facere radicem hanc ad lotium & menstrua: utitur autem cum succo boraginato ad Urinam ciendam, & maximum dicit esse remedium: radicem ipsam coquit in Vino tenui, & hujus ad quatuor cyathos exhibet, infinitosq; lotii oppreßione laborantes sanitati restituit, vide &* Tidic. p. 182. *Ventriculo insuper debili & laboranti auxiliatricem adfert manum: hinc spiritus extractum, radic. Elect. olea destill. & similia inde parata quotidiè fere usurpantur: Crudum in taleolas sectum & cum sale devoratum appetitum excitare, & cruditates digerere vel muliercula norunt; sed & Asthmaticis confert, ut pluribus Botanicorum libri de eo agunt. Cum verò & alexipharmacam poßideat potentiam, quis eam frustra ad Theriacæ compositionem diceret concurrere?*

CAPUT

Caput Quintum

DE XYLOBALSAMO ET EJUS SUCCEDANEO. MASTICHE. ET USU TROCHISCORUM.

Aph. I.

XYLOBALSAMUM est portio lignea Arboris Opobalſamum fundentis, candicans, ſaporis & odoris alterius ligni inutilis inſtar, expers; ut vult Bellonius.

Qualis Arbor hæc benedicta Balſamum miræ efficaciæ fundens, fuerit? An Judæam primam patriam agnoſcat? An hodierna quoq; die adhuc dum reperiatur, & quid loco Xylobalſami ſubſtituendum? diſquiſitione ſanè digna ſunt: I. Aliam deſcriptionem exhibet Dioſcor l.1.c.18. *alii aliam:* Doring. tr. de Opobalſ. *hanc ex fide dignis Scriptoribus collegit, nobisq; reliquit. Quod ſit arbuſcula viticoſa altitudine Liguſtri foliis pauciſſimis Rutæ proximis, colore viridi ſubalbido, perpetuoq; virentibus; cujus ramuli longi, recti, graciles, gummoſi, digitis poſt contrectationem tenaciter adhærentes: flores albi, exigui, ſummè odorati, quorum tamen odor puſillo tempore durat; ſemina flava folliculis nigris ſubrubeſcentibus incluſa, intus humore flavo gravida, odoris eximii, Carpobalſamum dicunt. Lignum candicat, ſaporis & odoris expers, &c. II. De* Patria *ejus alii aliã fovent ſententiam.* Döring. l. c. *totus in eo eſt, ut probet Arabiam felicem ab omni ævo, & quidem primitus hancce poſſediſſe arborem, Reginamq; Sabæam exinde Balſami Plantam Regi Salomoni dono*

primum

primum attulisse, hincq; reliquas deinceps propagatas, ita ut & ferax regio hæc postmodum balsamo exhibendo extiterit. adfero insuper autoritatem Josephi l. 8 Antiquit Judaic. c. 2. *idem affirmantis. Verumenimverò huic vix adstipulari potero sententiæ; non tantum quod Dioscorid. & alii veterum Arborem hanc in Judæa tantùm nasci voluerunt, & in Ægypto quo procul dubio ex Judæa allata fuit; sed historia Patriarchæ Jacobi inprimis probat, suo jam tēpore Palæstinā eā possedisse, inter alia enim munera ad Regem Pharaonem per filios transmissa Balsami quoq; fit mentio, non ex Arabia comparati, sed ibidem loci provenientis.* Genes. 43. v. 11. Joseph. l. 2. Judaicar. Antiq. c. 2. *Deinde nec in tanta copia unquam Arabia subministravit balsamum, quantam Judæa, ut ex sacris constat: Hierochuntinam enim regionem eo abundasse testis est Josephus aliquot in locis: perperamq; ipsius autoritas allegatur, nec enim ex propria sententia, sed aliorum potius id differit, inquiens. Existimant nonnulli, Balsamum hodiè apud nos proveniens per Reginam hanc eò pervenisse. Deniq; & sterilitas Arabiæ contrarium evincere videtur, cum enim arenosa sit, & arbores ibidem consitæ parum Balsami fundent, ita ut jam vix septem libræ quotannis inde colligi possint; præstantior v. & fertilior regio prædicta Judæorum fuerit, & major balsami proventus, utiq; hanc Veram patriam, alias v. Regiones adscititiam, dicemus. Ægyptum v. nonnunquam possedisse haut infitiamur, cum Pharaones universam Judæam non semel armis impugnarint, & inter alia huncce quoq; Thesaurū secū transportarint. III.* Utrū v. hodiè adhuc Arbor Balsami habeatur *non omnibus eadē sedet mens.* Matthiol. l. c. in Dioscorid. *probatissimorum virorum, qui ex Italia solventes pluries in Ægyptum navigarunt testimoniis confirmat Memphi Balsami viridarium extare. Quod v.* Petrus Mar-

Martyr Mediolanens. l. 3. Legation suæ Babylon. *quam ex Hispania Ann. 1501. missus obivit, refert, se totum Balsametum quod ab urbe Ægypti Cairo decem miliaribus aberat, penitus interiisse & desertum vidisse, ita, ut nullum arbustorum Balsami extaret jam tùm amplius Vestigium, id nullam contrarietatem indicat; nam non omni tempore Balsametum illud æquè floruit. Nam ex* Prospero Alpino *colligitur Ann. 1575. similiter omnes Plantas Bals. in viridario Ægyptiaco exaruisse, & licet à Præfecto ibidem loci è Meccha quadraginta Plantæ rursus eò transplantatæ fuerint & insertæ, paucis tamen annis Curatorum negligentiâ vicissim periêre. Quidni & id Martyris tempore contingere potuit? Pluribus v. Prosp. Alp. tr. suo de Balsam. demonstrat in Arabiæ felicis Civitate primaria Meccha dicta, cui Arabs quidam Princeps, Seriph dictus imperat, arbores hasce coli, unde hic ipse Turcarum Imperatori gratitudinis ergo propter munera oblata, singulis annis inter alia remittit Opobalsami tres quatuorve libras. Plantam hanc vivam aluit quoq; ipse Alpinus, pluribusq; eandem visendã, & Opobalsamum ex foliorum alis dissectis stillans exhibuisse. Tandẽ de* Xylobalsamo *notandũ, Ramulos Balsami saporis non nihil adstringentis, pinguis & aromatici hoc nomine apud Pharmacopæos venire; Quia v.* Arbor. Bals. *tantùm in Arabia jam provenit, & quidem haut copiosè, adhæc studiosè ob Opobalsamum educatur & asservetur, qui quæso in tanta copia Lignum s. ramuli expectandi, ut per universum ferè Orbem Pharmacopolia iis abundent. Sed & color, odor sapor oblati & ficti Ligni fucum satis loquuntur. De quo sic* Smetius l. miscell. 19. p. 500. *Lignum quoddam obtrudunt nobis Officinæ pro Xylobalsamo, quod licet sit tenui sarmento & aliquatenus fulvum, tamen odoratum non est, nec recens, nec quicquam Opobalsami spirat, nec πυῤῥόν, aut ut Plinius buxosum est colore, sed potius fuscum, vel ex nigro rubescit, saporε aliquid aromatis, sed valdè obscurè ostentat,* Fallop. l. 1. in

O Diosc.

Diosc. c. 17. & Silvat. p. 64. *in re tanti momenti certi quidpiam asserere haut licere ullum existimant, tutiusq; censent substituto uti, quam periculi plenam novitatem statim adgredi. Proinde ad succedaneum ipsum discursus dirigendus; aliis circa Balsamum adhuc explicandis in Historiam Opobalsami reservatis.*

II.

SUCCEDANEUM sit XYLOALOES vel etiam LIGNUM JUNIPERNUM, cum ad facultatem Xylobalsami proximè accedant.

Variant tùm Veteres, tum Neoterici in succedaneo; illi, ut ex libro de substitutis Galeno adscripto videre est, Leucoij radicem, vel Lignum hederæ nec qualitatibus nec virtute Xylobalso respondens; hi, vel lignum è Terebintho, vel è Lentisco, vel Caryophillorum, vel Cyperum, vel Zedoariam præferunt. Et si lignum Terebinth. vel Caryoph. semper haberi posset genuinum, nullatenus reprobandum esset ob balsamicam, quam utrumq; possidet virtutem. Placuit tamen pluribus Lignum aloes substituere. Anton. Alaymus lib. de succedan. p. 342. Cortic. rad. lauri substituendos censet, cùm & qualitat. & virtute occulta respondeãt Xylobalso Utrum v. & Iuniperinum Lignum locum mereatur, dispiciemus.

III.

XYLOALOE, est portio lignea Arboris Indicæ instar oleæ nascentis cortice crasso, cujus lignum oleosum quidem & pingue: recens dissectũ nulla odoris fragrantia commendatur; sed ubi exaruit, odoratũ evadit: Imò fragrantia ne tum quidem per universam ligni materiam diffunditur, sed in ipso arboris meditullio, quod Cor vel matricem vocant, coacervatur. JUNIPERUS est frutex lignosus, spinosus, ramosus mediocris arboris magnitudinẽ sæpius æquãs, cortice mẽbranoso, odorus, baccas ferẽs primo virides, & per maturitatem nigras, cujus lignum flavescit, & suavem de sese fundit odorem *Illius*

Illius descriptio est apud Smet. l. 9 miscellan. c. 21. *hujus apud* Renodæum l. 1. s. 6. c. 31. *Hæc arbor ut satis perspecta & cognita nostratibus, ita nonnulla circa lignum aloes dubia occurrunt.* *Nam disputat Smetius & quinq; argumentis evincit,* lignum aloes non esse Agallochum Dioscorid. 1. *quia Thuiæ ligno dissimile apparet (at simile eidē esse voluit Diosc.) huius enim materies incorrupta perdurat teste* Theophrasto l. 5. c. 5. *at Xyloaloe sæpissimè cariosū conspicitur, quin & rarum est, leve, non densum, compactum, solidū, grave.* 2. *Agalloch. Diosc. gustu adstringit cum aliquanta amaritudine, præcellenti autem adstringendi facultate: hinc sudores arcet corpori inspersum, & Dysentericis prodest, quæ ab astrictoria virtute dependent; In ligno aloes contra amaritudo adstrictionem evidenter superat; imò vis styptica nulla notabilis adest; neq; acrimoniā prorsus caret.* 3. *Agallochum Diosc. cute verius quàm cortice vestitur: at lignum aloes ut habet* Garz. l. c. 1. 16. *non cute sed cortice, ut reliqua ligna, vestitur, & quidem crasso.* 4. *Agalloch. pro thure ad suffimenta antiquitùs substituebatur, tanquam thure vilius, aut parilis pretii. Lignum a. aloes adeò carum est, ut potius thus pro ligno aloes substitui debeat. Nam thuris electi 100. libr. uno aureo apud Indos emi possunt, quamvis ex Arabia subvehi debeat. Lignum. v. aloes apud Indos aureis tribus, quamvis illic natum, in singulas libras venit.* 5. *In agall. radix ligno præfertur, & potissimum in usu erat, ligni aloes nulla adfertur, nec commendatur radix. Contrarium quidem hactenus usus obtinuit, ut sc. agallochum Dios pro Xyloaloe venditaretur; cum v. hæ rationes ex Garz. potissimùm desumtæ non de nihilo sint, cuiq; suū relinquimus judiciū. De Xyloaloe tamē ligno nobis noto disseremus.*

IV.

LOCUS NATALIS Ligni Aloes censetur India, inde in Arabiam & alias regiones transportatur. Juniperus in multis regionibus satis frequens est, ita

ut alicubi totas ſylvas efficiat, in quibus merulæ & Turdi gratisſimo ſibi cibo Iuniperi baccis veſcuntur.

Luſitani per Meridiem in orientem curſum navigationis inſtituentes teſtantur Lignum hoc in Inſula Taprobana aliisq; confinibus locis naſci, cujus integros Truncos in Luſitan. & Hiſpan. ijdem ſecum attulêre, qui non modo incenſi, ſed manuum tantùm attritu ſuaviter redolent referente Matthiolo. Optimum, referente Garzia in Malaca & Sumatra, unde Chinenſes auferunt, provenit: & quidem in iis promontoriis, in quibus Tigres & ferocisſimæ belluæ victitant & commorantur, unde non niſi ſummo cum periculo arbor grādiuſcula cædi poteſt, aut junior avelli & ſine diſcrimine vitæ tranſportari, ut tradit Renod. l.1.de mat, med. ſ.3.c. 21. *Fabuloſum itaq; eſt quod 1. à nullis aſſeritur, tantum in Paradiſo terreſtri hanc arborem provenire, & fluminibus truncos, fragmenta aut ramenta ejus rapi & in Indiam deferri. 2. quod lignum ipſum inodorum ſit, ſed integro anno diſſectum ſepeliatur, ut ita terrâ obrutum marceſcat cortex, lignumq; tantùm purum remaneat, adeò ut è ligno nihil erodatur, ut vult Serapio & ex hoc* Fuchſ. 1. de Antidot. ſection. *Ut enim primum non indiget aliqua refutatione, cùm Paradiſus jam nullus extet: ita ſecundùm ex eo rejicitur, quod ipſum lignum in ſe & ſuâ naturâ ſit odorum. Varia quidem ſunt lignorum odoratorum genera, quæ & nomine Ligni Aloes veniunt, at illegitima ſunt, aut ſylveſtres quædam arbores teſte Garz. l.1.aromat.c.16.*

V.

QUALITATES in ſecundo gradu poſſidet calidas & ſiccas, & optimum eſt, quod multum nigricat, cinereis diſcurrentibus venis, ponderoſum, plurimo humore pingui prægnans: Caput & Cor mirificè corroborat. Veneniſq; adverſatur: Juniperus v. vix uno ſuperat gradu cal. & ſicc. Pectori, & Cordi nec nō Capiti plurimū auxiliatur; Urinas movet, ſuffitu beſtias venenatas fugat &c.

Xylo-

Xylobalsami virtutes & qualit. ab Avicenn. l.2. tract. 2. recensentur, quòd in secundo gradu sit. Calid. & siccũ; secũdum Dioscor. & Avic. prodest dolori laterum, pectoris affectionibus, Pleuritidi sc. asthmati & aliis à causa frigida provenientib. ut & tußientib. Viscera omnia frigidâ intemperie obsessa, roborat, digestionẽ adjuvat, Hepar confortat, Cachexiam curat, Urinã provocat Nephritidem pellit, Lapides Renum infringit, & abigit, matricis dolores lenit, menstrua alba & alias Uteri humiditates exsiccat, Venenis resistit, Venenoso morsui Viperino confert, nec non scorpionum Venenum præsertim fugat, pannos tandem oculorum exterit. Hisce nullum omnium Simplicium ita exactè respondet, quàm Lignum Iuniperinum s. etiam radices Ligni ejusdem: In manifestis ei respondet, licet baccæ ad tertiam accedant classem, Pectori, Cordi nec non Capiti plurimum auxiliatur, Urinas movet, calculum pellit, suffitu bestias venenatas fugat, Pestilenti auræ resistit & venenatorum animaliũ morsibus confert. *VI.*

USUS utriusq; ut in multorum morborum curatione multum valet, ita inprimis Trochiscis hoc vel illud adsociatur, ut vires alexipharmacæ augeantur, & suavis inde affulgeat odor.

Utrum Lignum Juniper non præferri possit *cuivis deliberandũ propono ob sequentes Rationes 1. Rariores suntillæ arbores Xyloaloes 2. nec semper ad nos deferuntur 3. magno pretio lignum emitur 4. facilè illegitimum substitui potest, 5. nec majores nostro Iuniperino obtinet virtutes: cujus & uberior proventus, semper ad manus esse potest, vili pretio comparatur, nec adulterium obtinet, & tempore pestis magnum adversus contagium & virus pestilentiale est auxilium, unde & suffumigia varia parantur, ut ex Medicorũ scriptis cõstat, & alibi pluribus id exponetur?* *VII.*

MASTIX est Gummi resina ex Arboris Lentisci truncis vulneratis fluens, & in terra circa pavita concrescens.

 Quem-

Quemadmodum Gummi speciali nomine is Liquor concretus à Galeno indigitatur, qui aquis promtè diluitur; & Resina, quæ Oleis & pinguibus: ita, quæ de utroq; participant, & tàm aqueis, quàm oleaginosis dilui patiuntur, non incommmodè Gummi-Resinæ vocantur, quo Mastiche, Camphora, Styrax & similia referuntur, censente Renod.l.1.s.9.c.1. *Arbor ipsa dicitur Gr.* σχῖνος *Lentiscus, resina.* ῥητίνη σχινίνη ἢ μαστίχη. Diosc.l.1. mat. med. c. 72. *arborem dicit esse notam, at non ita Germanis: Delineationem vide inprimis apud* Clusium. l. 1. rarior. plantar. c. 10. Tabernæm. l. 3. c. 60. *& alios.*

VIII.

LOCUM NATALEM inprimis agnoscit Insulam Chium: nec enim Lentiscus alibi proveniens laudabilem fundit resinam.

Arbores ipsas per Lusitaniam, Boœticam, ut & in regno Valentiano & Gallia Narbonensi copiosè provenire scribit Clusius l. c. *nec Italiam illis destitui vult Tabernæmont, Optima tamen est Mastix, quam Insula Chio subministrat; narratq;* Bellonius l. 2. observ. c. 8. *copiosissimum in illa insula esse Lentisci Mastichem fundentis proventum; primariasq; Insularum opes & fortunas in ejusdem collectione consistere; additq;: non minore impensa & diligentia Lentiscum ibidē excoli, quàm in Gallia vites; Omnemq; collectam summam Reip. deberi. Quod v. Vindemii tempore in propriis agris legitur, id totum absq; dolo in commune conferri, abscissaq; manu pœnas dare eum, qui Mastichem producentem Lentiscum in proprio vel alieno agro excidet. Ægyptiacæ quidem* Galen. 2. ad Glaucon. *mentionē facit, at subalbida est & feculenta & exiguarū virtutum; rara quoq; exiguaq; quātitate est, quæ in Hispania & Gallia provenit, ita ut de ea colligēda homines vix curā aliquā suscipiāt notante* Amatò enarr. 18 in Diosc.

IX.

QUALITATE suâ ad secundum Calidit. & siccit. gradum accedit, simul & adstringendi conglutinandiq;

nandiq; vi pollet Ventriculo maximè grata; quin & aromaticâ balsamicaq; suâ virtute excellit.

Avicenn. l. 2. tr. 2. c. 461. *hisce facultatem Mastichis exprimit. Mastix subtilior est & magis juvans, quàm Olibanum: confert propter illud quod in Mastiche est de stipticitate & lenificatione apostematibus viscerum: confert & Tussi, & sputo sanguinis: confortat stomachum & Hepar, & aperit appetitum, & stomachum efficit bonum, & movet eructationem, & liquefacit phlegma ejus, & confert apostematibus Stomachi & Epatis statim &c. Quæritur v.* quî secundũ Diosc. & alios stomacho auxilietur, cùm ructũ moveat: *alii expũgendũ censẽt illud (Ructum movet,) hinc & Dodonæus in catalogo virtutum mastiches, ructus non meminit. Verum rectius* Strobelberg. tr. de Mastich. p. 59. *eatenus ructum s. eructationem promovere asserit, quatenus vitiosam in Ventriculo materiam invadit, & flatus inde proveniẽtes expellit: ructus a. ut ut sit ex mala causa, bonum tamen signum est roboris sc. Ventriculi; hinc Serapio, si stomach⁹ repletur vẽtositate, nec fiat eructatio, dẽtur unde eructatio perficitur.*

X.

USU suo primario visceribus quidem internis balsamicâ virtute prospicit, sed & aliis morborum generibus medetur, ut non sine causa inter Theriacalia simplicia locum inveniat.

Saluberrimum mehercle est medicamentum & eximium Medico usum præstat: sanguinem è naribus manantem, si cum Thure, sanguine draconis, farin. volatil. & leporinis pilis conbustis albumineq; ovi misceatur, sistit, quod in iis casibus, ubi vix alia locum habebant remedia, non semel expertus sum: & vel fronti applicatur fascia superpositâ, quæ arctè constringat, vel etiam nasalia inde parantur: ad dentium dolores, & ad Pituitam à capite trahendam confert, si cum Cera odorata misceatur & masticetur. Ad ventriculi dolores usurpatur, si ituro cubitum tria quatuorve grana

deglu-

deglutienda porrigãtur. Balsamica ejus virtus in sanandis ulteribus Ventriculi & Intestinorum vix deprædicari potest quẽadmodum observationes nostræ medico Practicæ id aliquando uberius demonstrabunt. Plura de ejus virtute vide apud Srobelberger. l.c. Unicum tamen ex Mesue notandum. Mastichẽ ferè omniũ Catharticorũ esse cõdimẽtũ, *quò effera eorũ vis ac virulentia cicurari potest, ut sine illa præscripta Purgatio insulsi cibi, inconditiq; ferculi repræsentet imaginem, sitq; omnis Purgantium propinatio suspecta, & humanæ naturæ invida, cui mastiches benignitas & clementia non accesserit, adnotante Strobelb. p. 84. Hinc vix dantur pilulæ eâ destitutæ; ingreditur Syrupós, Electuaria, species aromatic. Trochisc. Antidot. Ungv. Empl. Cerata & similia, unde insignes ejus virtutes facilè quivis colligere potest. Acribus quoq; medicamentis, qualia non pauca in Theriaca habẽtur, freni instar esse posse & lentore suo Emplastico eadem demulcere vult* Tidic. l. c. p. 216.

XI.

Compositionem excipit USUS Trochiscorum, qui in eo consistit, ut non tantum excalefaciendo, exsiccando, valenter attenuando, visceraq; roborando inserviant, sed & Cor firmando & Venenis resistendo Theriacæ fidelem præstent operam.

Dioscorid. l. 1. de mat. med. c. 57. *eandem dicit vim habere cum Unguento Amaracino.* Galenus 4. de loc. aff. c. 8. *meminit se in Pulmone exulcerato & putrefacto, inter alia Hedychroum interdiu naribus jugiter adhibuisse, quo æger reficeretur.* & l. 3. de composit. medicam. s. l. p. 298. *In divite quopiam, qui odoratum Pharmacum sibi adhiberi exoptabat in Ozænæ curatione Hedychroi usum excogitavit, ipsumq; Vino falerno veteri dissolvit, & mirum quâm brevi affectio ipsa sit curata. Nostro v. tempòre ad Theriacæ tantùm hi Trochisci expetuntur compositionem, & vix in alium trahuntur usum.*




Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06947

